A
47
300

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11

A 615.113 Xas
C-II-28
12
1-20
A
47
300

A 615.11 Xas
C-I-28
12
1-20
A
47
300

C.D.615.11

# ANTONII MVSAE BRA-sauoli Ferra-rienſis,

## Examen omnium Syrupo rum, quorum publi-cus vſus eſt.

*Omnia ab authore recognita.*

R 1322

CVM INDICE.

1

LVGDVNI,
SVB SCVTO CO-LONIENSI.
1546

# AD ILLVSTRISSIM.

*mà & pudiciſsimam virginem Elleonoram Eſtenſem, Antonius Muſa Braſauolus bene agere.*

ANtiquorum mos fuit, & hoc etiam tempore ſeruatur, ſi quis opus aliquod egregium paraſſet, alicui principi, aut nobiliſsimo Heroi nuncupare: ne in vulgus abſque patrono, & tutore prodiret. Res profectò à nemine, qui mētis compos ſit, detrectanda. ſed tamen quæ nos ab incœpto repellat, ne videamur partus noſtros egregios putare: quos potius abortiuos, & prociduos arbitramur. Tamen quicquid ſit, quum præcedentibus menſibus de Syrupis inter nos ſermo incidiſſet, & tu de hac materia doctè & abūdè diſſeruiſſes, viſum eſt mihi, nulli magis cōuenire, quàm tibi: quæ non modò Magdalenam imitata es, huius Mundi illecebris & deliramentis ſpretis, rerū diuinarum contemplationi vacas: ſed plerunque etiam Marthæ ſatagentis officio fungeris, vt triplici corona digna ſis. Prima, quia ſponte nullo monitore, nec infantia diſſuadente, imò illuſtriſsimo patre primis motibus obuiante & reluctante, ſacratiſsimā hanc religioſarum frequentiam ingredi curaſti: frequentiam, inquam, pudiciſsimarum virginum & ſanctarum, matronam beatam Claram imi-

tantium, quam corporis CHRISTI Virginium vocant, & quam nullus alter Vestalium Virginum cœtus in tota Italia sanctitate ac miraculis superat. Hic tu spiritui & orationibus vacas, & statutis horis te totam contemplationi præstas. Secunda corona est, quia illis horis, quibus vel aliæ dormiunt, vel mechanico operi incumbunt, tu apparandis & concinnandis pharmacis diligentem operam præstas. Quod opus, vt pote plenum charitatis, dignum est vt à te fiat: nempe sic consorores alias ægras iuuare potes: & ita veluti altera Martha solicita es circa frequens ministerium. Tertia corona, quia diui Alphonsi Ferrariæ Ducis filia, quum maritum principem, ex summis Italiæ proceribus sperare posses, tu potius puerum Iesum, dulcem Mariæ natum, pulcherrimum, delicioſissimum, qui eadem semper virenti ætate, eadem pulcherrima pulchritudine, eisdem semper probissimis moribus in sponsum elegisti: quem cognoscere totis viribus studes illustrissima Virgo, cognitum laudare, laudatum amare, amatum venerari, veneratum exprimere, expressum imitari, vt denique cum eo immortali felicitate perfruaris. Hic est ille prædulcis, & præpotes sponsus, qui te non oppidi dominam, non vrbis Ducissam, non prouinciæ reginam, non Christianorum imperatricem, sed totius cœli, & paradisi deliciarum participem faciet. Igitur illustrissima hunc sequi studeas, hunc imitari, hunc totis viribus amare:

vt

vt vna sis ex prudentibus quinq; virginibus, quæ oleum sibi statuto tempore compararunt, vt aduenienti sponso Iesu sine mora possis occurrere, & in eius amore semper cõquiescere: Vt cum Phocylide cõcludam, vnà cum sanctis Sororibus, Σωὴν ἐκτελέοι τ' ἀγαθὴν μέχρι γήρα ὀδῷ. id est, Vitam perficite malorum immunem vsque ad senectutis limen. Sed cur Noctuas Athenas porto? aut angelos bene agere instruo? Accipe igitur Elleonora illustrissima, de Syrupis libellum: vt, quum Marthæ officio fungeris, in his componendis aliorum errores corrigas. Vale Virginum pudicissima.

# IN EXAMEN OMNIVM SYruporum eximij Philosophi & Medici Antonij Musæ Brasauoli, Franciſci Bouij Ferrarienſis

## EPIGRAMMA.

Qui prius exactè Medicamina quæque recenſet
Simplicia, ac vires ſint quibus illa, docet.
MVSA Syruporũ totam hic ANTONIVS artẽ
Explicat, & priſcos æquat honore viros.
Hinc ſacra Ateſtinæ Virgo noua gloria gentis
Luminibus placidis Elleonora legit.
Doctior hinc Medicus, mage Pharmacopola perītus
Hinc cõponẽdi pharmaca, abire poteſt.
Hinc necis humanæ, Medicinæ inſcitia turpis
Cauſa aberit. Vitam lux patefacta feret.
Haud necis humanæ cauſa inuidioſa feretur.
Iam Medicina, quod eſt, ipſa ſalubris erit.
Arte ſine ingenium cæcum eſt, ars ipſa remoto
Officio, manca eſt, hoc ſine penè nihil.
Non ſat Ariſtotelis, magnique; arcana Platonis
Noſſe, licet viuo ſingula fonte petas:
Socratico hic ſophiam voluit deducere ritu
Cœlitus, atq; hominum conſuluiſſe bonis.

# EXAMEN OMNIVM SYRVPORVM, QVOrum in publicis officinis usus est, Antonio Musa Brasauolo Ferrariensi authore.

## BRASAVOLVS, SENEX PHARMACOPOLA.

HEVS HEVS. Quorsum tam rapidè, tamque celeri cursu properas? qui testudineo gradu alioqui tuo huic antiquissimo mulo insidens incedere soleas? BRASAVOLVS. Ad cœnam vocor: hanc enim diem hucusque ieiunus transiui. SENEX. Quur tu, quem medicè viuere oportet, ventriculum tam longo spatio inanè esse permisisti? Fortè heri vesperi pleniori cœna vsus es, quæ ad hanc vsque horam te saturum fecerit. BRA. Non equidè: sed in Diui Ioannis venerationem, pro qua omnes Christiani hodie ieiunant, id est, semel in die comedunt, & ego eundem morem seruare institui. SEN. Ad prandium igitur vocaris, nõ ad cœnam. BRAS. Vtrunq; simul expediam. SEN. Quur in meridie pransus nõ es, vt est omniũ ferè communissimus mos? BRAS. Vt vxorculæ meæ, & aliis domesticis mulierculis sa-

SENEX.

tisfacerem, atque morem geram. SEN. O te miserum atq; infortunatum. Igitur mulierculis pares? BRA. Et pareo, & parent. SEN. De me actum esset, si in re vel tantilli momenti vxori meę aures porrigerem, & annuerem. BRA. Tamen difficile est fœminam cogere. SEN. Difficillimum. BRA. Quomodo igitur continuò domi non certas? SEN. Imò nulli sunt dies, vel nulla saltem hebdomas, quæ rixis, clamoribus, & contumeliis coniugalibus careat. BRA. Ego potius econtrario dicã, O te miserrimũ, atq; infelicissimũ, qui cõtinuam rixarum & contumeliarum pestẽ domi alas. SEN. Quis ille est adeò temperans, & modestia præditus, qui vxorem ducens ab his temperare possit? BRA. Ego is sum, licet parum modestus, & parum temperãs, tamen septimus agitur annus postquam vxorem duxi. Nunquam verò eam vel iratus turpi nomine aut contumelioso appellaui, & ad hoc vsq; tempus adeò tranquillè vnà viximus, vt nullus vel religiosorum cœtus pacatior inueniri possit. SEN. At ego primis protinus diebus institui, nunquam suo nomine vxorem meam vocare: sed continuò aut belluam, aut mendicam, aut scortum, aut alio simili nomine, quoties opus est vocare eã, appello. BRA. Ego autem meam non solùm suo nomine, sed etiam honestiori eam appello, quæ mihi

mitis

mitiſsima effecta eſt. SEN. Aut mulier nõ eſt, tua vxor, aut diuino loco nata. BRA. Ferrariæ orta eſt, & mulier quæ bilioſiſsimam temperaturam nacta eſt, ſi qua altera. SEN. Quomodo igitur tam diu abſque bello, iurgiis, & verberibus viuere potuiſti? BRA. Quomodo tu in tam magno incommodo in bello magis quàm hoſtili tanto tempore vitam duxiſti? SEN. Audies (ſi aures accommodare non pigeat.) Ab initio cùm vxorẽ duxi, ſtatui & fixa mente repoſui: quicquid vellem, quicquid dicerem, vel ſanum, vel inſanũ, vt ipſa id ageret, & annueret. BRA. O dementia non modò mira, ſed pluſquã feralis. Hoc eſt, hoc eſt, quod vxores multas (pauperculas quidem illas, quæ his nebulonibus iunguntur) in exitium perducit. Quippe nulla eſt mulier, quæ ſuam bilem, & ſuam indignationem non habeat. Multi verò fatui putant leonem verberibus cicurare, quod boni cicuratores nõ faciunt: ſed canes in conſpectu leonis cædentes, cicures leones reddunt. Quid autẽ de vxore egeris, proſequaris. SEN. Ex his quæ dicebam, illa quædã annuebat, alia negabat quibus aſſentire volebam: & quia negabat, verbis atque verberibus afficiebatur. Imò prima nocte, qua domum meam acceſsit, muliebria femoralia paraueram, & duos baculos: quando hora cubandi in cubiculo ſoli clauſi fui-

mus,femoralia in terram proieci,& sumpto baculo alterum illi dedi,inquiens:Volo nũc pugnemus, vter nostrũ femoralia ferre debet.& quia nec baculum sumere voluit, nec pugnare, grauiter fustuario prima illa nocte vapulauit. BRA. O fatuissime virorum, pulchra matrimonii consummatio illa fuit. Vtinam sumpto baculo te pro merito mulctassiet. Dic autẽ,illa quæ negabat,& quibus te inuito annuebat,erántne alicuius momenti? SEN.Minimi quandoq;,& plerunque nullius: sed experiundi gratia quædam vana & absurda ꝓponebã, vt ad mea vota annuere & negare condisceret.BRA.O omniũ,quos adhuc nouerim,virorum fatuissimum.Vxorem igitur assentatricem & propè parasiticã habere cupiebas,quę in rebus falsis te laudaret,& manifestè vera inficiaretur? SEN. Non assentatricem cupiebam,sed mihi obsequentem.BRA.Dic(ni pigeat)fuitne vnquam obsequens?SEN.Nunquam potui iurgiis,minis, aut verberibus adeò efficere, vt præceptis meis obsecundaret. BRAS. Igitur tam longæuam ætatem pugnans,& quali bello, magis quàm intestino, miseram vitam ducere potuisti? SEN. Plus certè fuit quàm intestinum bellum,quod inter nos factum est: nũquam enim tam horrendum & ingens mõstrum domari potuit, quod Herculeam clauam

uam etiam retundit. BRAS. Nescio an tu potius, vel illa monstrum sit. Quippe tu nunquam domitus es: sed continuè furiali incessu, & non humano processisti. SEN. Non licet virum ab vxore domari, & dorso muliebres clitellas gestare. BRAS. Hoc est illud quod perpetua bella inter vos facit. De te autem plurimùm miror, quem plerunque viderim famulum tuum, & pueros, quos instituis, benignè, & piè admonere, & labores multos, vt eos rectè instituas, pateris, tamen quando & quoties lubet expellere potes, & illi sponte abire: non potes autem pusillum tolerare, vt vxorem propriam edoceas, quæ velis nolis tua est. Eadem domo viuitis, eidem mensæ accumbitis, eodem cubiculo acquiescitis, eodem toro cubatis, communes filiorum parentes estis, bonæ & malæ fortunæ participes, quam, & si volueris, expellere non potes, nec ipsa sponte discedere, sed te ad cineres vsque comitabitur. SEN. Libenter scirem quomodo vxorem tuam mitiorē reddideris: nam discens fortè imitabor, & quod supereſt mihi vitæ, quietius transigam. BRASAVOL. Rem (vt arbitror) difficillimam aggredieris, nam psittaci rostrum nactus es: tamen non grauabor meū & verum has feras curandi modū edocere. Principio, Antiquū morem cōsiderare cœpi, quo vxor maritum,

& mar

& maritus vxorem emebat. Id interpretatur Plutarchus, ex hoc significari, inter virum & vxorem æqualitatem quandam esse debere, vt vterque alteri sponte obtemperet. Cuius rei erant illa verba solennia: Si fueris mihi Caius, ero tibi Caia. Deinde mihi ex instituto proposui, hoc mometaneũ vitæ spatium in perpetua animi pace, quiete, & tranquillitate percurrendum esse: propterea primis illis diebus à nuptiis omnia agere cœpi, quæ vxori meæ placere prænidebam, explorabamque ab ancillis, à sorore, & aliis an quicquã nosceret quod vxori meæ placeret, quod illi gratum foret & iucundũ, & nihil intentatũ omittebã, quin efficerem, vt in omnibus illi satisfacerem, & sua vota impleré. Illa vicissim ita me amare cœpit, vt quicquid cogitat, quicquid agit, in meum solatium sint, & nihil aliud animo habet, quàm mihi grata parare. Quippe in dies nouas dapes, nouos intinctus & scitamenta, noua opsonia, quæ meo palato sapiant, perquirit. Si quãdoq; in habitu corporis, & vestium genere mihi displicuerit, non arguo, non reprehendo, non exclamo, iubens vt hãc vel illam vestem dimittat, vt manicas aut torale mutet, vt vittas, infulásve alio more gestet. Sed mihi fabellam quandam fingo: In templo mulierem vidisse tali habitu, talique mitra redi

redimitam, quæ mihi adeò placuerit, vt oculis meis nihil vnquam gratius occurrerit. Sequenti die aliam mulierẽ me vidisse refero, quæ ob vestium lacinias, ob vittarum varietatem adeò mihi displicuerit, vt eam magis quàm Tisiphonem abhorrerẽ, & quam nullo pretio matrimonio mihi iunctam esse velim. Hæc audiens vxor mea vestes me inscio mutabat, vittasq;, vt mihi gratum erat, aptabat. Itaq; pacifice, summo cum amore & beneuolentia ad frugem redibat. SEN. Vir sum ego, qui hæc pati non possem, & cui has feras imperiose potius, quàm blandè, vincendas esse videtur. BRA. Tuam tamen ad hanc vsque tam longæuam ætatem vincere non potuisti. SEN. Nec (vt arbitror) posthac vincã, nisi interfecero, aut spontanea morte decedat. BRAS. Ego autem meam mihi cicurem, blandam, meisq; votis commodam re minima reddidi. Nec dubito me oppositum facturũ fuisse, si contumeliis, aut verberibus illam peruincere voluissem. SEN. Nunquã in irã in tanto tẽpore prorupistis? BRA. Nunquã. SEN. Quid ageres, si tuos numos expenderet, tuaque bona dilapidaret? BRA. Imò ingenuè tibi dicam: Primis illis mensibus à nuptiis claues cubiculorum quorũdam seruabã, in quibus pauca illa pecuniola, quam habebam, & alia quædam domestica bona

aurea

aurea & argentea condebantur, quoad eius mores occultè expertus essem. Sed postquam mihi filios peperit, quod statim post nonum mensem accidere nosti, vniuersis bonis meis sumptis, & tota illa pecuniola, quã habebam, omnia illi præsentaui, & in eius ditionem dedi, his verbis vsus: Cassandra soror, hæc tua sunt, & natorũ tuorũ: si placet expendas atque profundas, tibi enim filiisq; profundes. Si parca eris, tibi, filiisque parces. nunc enim peperisti, & iterum plena es: quantum in me sit, vel parca sis vel prodiga, nihil refert: mihi enim vel hic, vel alibi nihil vnquam defuturum est: sed tibi, filiisque tuis deesse posset, si immatura morte præuenirer. SEN. Expenditne quantum lubet, & omnes mulierum cupiditates explet? BRAS. Ter aut quater occultè obseruaui, magis parca est quàm optarem, qui meapte natura liberalis sum. SENEX. O te felicissimum, qui adeò secundum vota vxorem instituisti. O dignum & sanctum cõsortium. BRAS. Hoc est quod semper optaui, quietè, pacificè, & hilari mente vitam ducere, & cuius gratia tales mores instituui, quanuis à principio abamicis quibusdam admonitus essem, ne mihi femoralia (vt vulgari adagio fertur) ab vxore imponi finerem, sed eam iurgiis & verberibus subiectam redderem. Quem

morem semper despexi, tanquam nebulonum & indignorum hominum improborumque putans. Etenim ingenuum existimo, nobile, ac penè diuinum, beneficiis potius & blanditiis vxorem sibi beneuolam reddere, quàm minis. SENEX. Deinceps & ego experiri incipiam nunquid meam mitiorem reddere possim. BRASA. Id denique efficies, quanuis difficillimum sit contractas rugas serico pāno adimere. SEN. Hæc de vxoribus satis sint. Ad id autem, propter quod te vocaui, descendamus. BRA. Quid est illud? SEN. Præcedēti anno promisisti, & iureiurādo affirmasti, post simplicia medicamēta, ea composita, quorū apud publicos pharmacopolas vsus est, examinare: imò & iandiu te cœpisse enarrabas. Obsecro igitur atque obtestor, ne promissa rescindas. BRAS. Promisi equidem, sed aliquem inuenire oportet, qui promissa obseruet. Diuersa enim sunt promittere, atque præstare. SEN. Imò apud probos integrosque viros, idem planè est, promittere, & præstare. BRA. Ita certè est, & probus vir nunquam iureiurando affirmare aut negare debet, sed simplicissimis particulis, Est, & Non, continuè loqui. Quum igitur composita medicamenta examinare promiserim, quando opus erit, & tibi lubebit, ita efficiam, vt tu voti compos fias, &

ego

ego promissa non rescindam. Oro autem, ne in præsenti me impedias cœnam petentem, & ingenti fame oppressum. SEN. Et ego apud te cœnabo, ne alia occasione data laborem subterfugias, & apprimè opto hæc die nota. tu digna felici omine incipiamus. BRASA. Quid prohibet deposita veste, cùm domi simus, iam incipere? SEN. Omnia composita medicamenta, quæ in officinis habemus, vna scheda secũdum hũc ordinem descripsi, vt omnes syrupi simul essent, omnia eclegmata simul, omnia vnguenta simul, & eundẽ ordinem in cæteris seruo. BRA. In his dispo nẽdis ordinémne seruas, vt syrupi frigidi vno ordine, & calidi alio disponantur? SEN. Nullum ordinem seruaui, sed, vt mihi offerẽ bãtur, disposita sunt. BRA. Erit igitur idem ordo, qualis in simplicibus fuit? SEN. Talis planè. BRAS. Quæ aũtem series inter cõposita alias antecedit? SENEX. Primùm seriem Syrupis dedi, & inter illos, is, qui de corticibus citri nuncupatur, primum locum obtinet. BRA. De his rebus tractaturi id in primis admonere volo, cùm in his compositis de simplicibus sermo erit, ad ea recurrere oportet, quæ in examine simplicium scripta reliquimus, nisi aliqua sint, quæ incuria eo libro omiserimus, hæc enim isto loco exponemus. Nunc autem syrupi de corticibus

*Syrupus de*

citri

citri compoſitionem enarra. SEN. Ita apud Meſuen ferè legitur: Recipe corticum pomorum citri recentium libram vnam, in quinque libras aquæ fontium bulliant ad cõſumptionem duarum partium, & cum vna zucchari libra fiat ſyrupus, & cum quatuor moſchi granis condiatur. Nec deſunt, qui in Iuleb proiiciunt ex corticibus citrorum partes conuenientes, & propriè, quando vicinatur complexioni coctiuæ eius, & eſt delectabilis, & quando ſubmergitur in aqua decoctionis citriſeta tincta ex chermes, tunc eſt excellentior. Hæc Meſues, hunc ſyrupum deſcribens. BRAS. Imò & alii omnes hoc modo deſcribũt. SENEX, Reperitúrne apud antiquos hic ſyrupus? BRAS. Nuſquam inueni re licuit: imò pauciſsimas huius generis potiones antiqui ſcriptis mandarunt, & pauciſsimis vtebantur. SEN. Ergo ſyruporum mos antiquus non eſt. BRAS. Non, more noſtro: quoniam apud antiquos oxymel, hydromel, ptiſana, & quædam alia non multa mueniuntur: nec in diluculo propinabantur, vt nunc fit, ſed in febrium ardoribus pro ſiti ſedanda, & ad aperiendum qualibet hora diei, cùm opus eſſet. SENEX. Mirum mihi videtur, antiquiores concoctricibus potionibus vſos non eſſe. BRAS. Imò maximè vſi ſunt, & plerunque Galenus concoquit meli-

*Syrupis antiqui vtebantur.*

cratum ex hyſſopo, hydromel & oxymel tribuens. SENEX. Arbitrabar id nomen ſyrupus Græcum eſſe, & ex antiquiſsimis authoribus ſumptum. BRASA. Græcum certè eſt, & à Græca lingua deflexum, & potius ſynopus, quàm ſyrupus proferendum eſſet: vnde Græci ſuccum ὀπὸν vocant. Fiunt autem potiſsimùm ex ſuccis ſynopi, vſus autem fecit, vt ſyrupi dicerentur: quanuis Hermolaus à Syria dictos putet, & alii à σύρω, quod eſt traho, & ὀπὸς ſuccus. SENEX. Non poſſum aliqua ratione arbitrari antiquos Græcos non habuiſſe ſyrupos. BRASA. Potiones habebant, ſed quæ potius vinum, quàm aquam reciperent. SEN. Nónne aliquibus nominibus eas appellabant? BRASA. Quis hoc ignorat? nam πρόποσις, & προπόματα appellabant, nos præpotionem, & propinationes Latinè interpretari poſſumus. longè autem à ſyrupis, quibus nunc vtimur, abſunt. Quippe Aëtius capite CXXV. libro XIII. potiones ex melle & vino confectas προπόματα peculiariter appellari tradit. Et Alexander Trallianus libro III. capite XLIII. (aliis locis omiſsis) propomata facit ex aniſo, apio, althæa, abſinthio, malis medicis, maſtiche ad colli dolorē repellēdum, pro hydrope autem capite trigeſimoprimo propoma ex abſinthio, caſia, id eſt, noſtra vocata

*Præpotio et propinatio antiquorū.*

cata canella, ſpica nardi, & apio componit. Quæ potiones noſtrorum ſyruporum naturam ſapere videtur. Sed in vino potiſsimùm parabant, & ex melle, quia illis noſtrum ſaccharum deerat. Quandoque tamen idem Trallianus in inflammatione iocineris, potiones ex aqua per decoctionem tribuit, quæ recentiũ ſyruporum vice funguntur, vt ex apii decoctione, quæ potionum genera Græci ἀπόζεμα vocant. eſt autem capite xv. tertii libri, ex quibus certe habetur his potionibus humores concoxiſſe: & per potiones etiam capite xxviii. concoquit, & capite xxix. Quid autem opus eſt loca adducere? quippe conſtat concoctricibus potionibus totum Trallianum ſcatere, licet alterius cõpoſitionis, & modi ſint, quàm hic, quas nos ſyrupos vocamus, tamen in eundem finem factæ pro concoquenda materia. Nec turberis quòd aliàs dixerim, calorem naturalem eum eſſe, qui materiam verè cõcoquit, nunc autẽ hoc munus ſyrupis attribuã: quia ita eſſe cõſtat, ſolum calorem naturalem verè concoquere: Syrupos autem ideo concoquere, quia naturalem calorem augent, ideo in ſyruporum genere, præſertim recentiorum, multi ſunt, qui tantùm alterant, & non digerunt, quia nec naturalem calorem augent, nec illi opem præſtant, ſed vel ſolùm in-

ἀπόζεμα.

frigidant, vel alia qualitate corpus afficiunt: ea autem apud Galenum potissime concoquunt, quæ humores extenuant, propterea XXIIII. Aphorismo primi libri Galenus humores extenuat, quos vult purgare melicrato ex hyssopo, vel origano, vel tragorigano, vel thymo, vel pulegio, quæ ab eodem authore in libro, Quos oporteat purgare, quo tempore, & quibus medicamentis, referuntur. SEN. Quomodo imterprerari potest id vocabulum ἀπόζεμα? BRA. Defrutum, seu deferuefactum, à ζέω ferueo. Erant autem ex herbis vel radicibus decocta, quæ frequenter post catapotia exhibebāt. Imò & apud Paulum Aeginetam multæ potiones reperiuntur, quibus humores concoquebat: & apud Aetium, imò & ante hos Oribasius Sardus, q̄ penè diuinus creditus est, vt illo versiculo circunfertur, ἄξιος εὐσεβίης δῖος ὀρειβάσιος, hoc est, dignus honore Deûm Dius Oribasius, tertio libro potiones scribit, quæ vim concoquendi habent, & quæ à Græcis ἡδεὰ, & ὠφέλιμα, id est, suauia, & vtilia nuncupantur. Galenus præterea aquam hordei, mulsū, oxymel, & ante ipsum Hippocrates ægris propinarunt: constatque apud Dioscoridem & Galenum plura vinorum genera fictitia, quibus ægri vtebantur, quæ vim nostrorum syruporum habere certum est. Ex his

ἡδεὰ.

his igitur inferendũ putamus aduersus quosdam recentes sciolos, qui syruporum vsus demũt. Antiquiores authores multa habuisse syrupis nostris proportionata, licet syrupis nostris non vterentur, nec componere scirent, illis tamen materias concoquebant: nã & extenuabant, & vias parabant vbi opus erat. Si autem voluerim per Hippocratis, Galeni, Pauli, Aëtii, Sorani, (si is liber Sorani sit, qui publicè circunfertur) Tralliani, Aureliani, Celsi loca edocere, Antiquos potionibus concoquentibus vsos esse, ex solis authorum sententiis liber in iustum volumen creſceret, & institutum nostrum omittere oporteret. SEN. Satius duco syrupos trutina perpendere, & vno verbo contentos esse, Antiquiores morborum materias potionibus concoxisse. Dic autem, hic syrupus de corticibus citri iam citatus, conuenitne, an quicquã illi addi oportet? BRA. Præter ea, quæ à Mesue dicuntur, valet etiam ad cerebri, & cordis affectus frigidos, & ad omnes pituitosas ægritudines: ad has enim intemperies hoc syrupo frequentissimè vtor. Quippe mihi institui ab initio & prodesse ægris, & placere. SEN. Ideò optimos poëtas imitaris, qui simul & prodesse volunt, & delectare. BRASAVO. Imò & optimos medicos imitari studeo, qui ea sectantur, quæ ab Hippocrate in Aphoris-

morum libro edocentur, vbi iubet ægro paulò deteriorem cibum exhibendum esse, modò suauior sit. Ventriculus enim illum amplectitur, & melius concoquit, quàm insuauioré & melioré. Mihi enim illi medici semper displicuere, qui adeò seuerè suos ægros tractant tanquam tyranni, vbi mitioribus & suauioribus rebus sanare possunt: quãquam & nimis indulgentes etiam accusem, qui omnia concedunt, huic communi sententiæ innixi: Quantitas nocet, non qualitas. SEN. Si possibile esset, omnia ad exactã regulam, id est, mediocritatem, ducere oporteret. Sed cùm fieri non possit, plerunque ægris (cùm sine periculo est) indulgere cõuenit. Nos autem ad prædictum syrupum reuertamur. BRA. Vt lubet, pro citri corticibus quid sumendum sit, disputatum est an citri extima pars, id est, vltimus ille cortex luteus, vel simul caro illa alba, quæ post corticem sequitur. Si cortex ille extremus sumatur, calidior est syrupus: nos autẽ totũ id sumere cõsueuimus à luteo cortice vsque ad succũ. Ego potius laudarẽ vt extremus cortex cũ aliqua carnis parte, ad quantitatẽ semipollicis sumeretur. Quibus citrea poma desunt, hi ex limonum corticibus parare possunt, quãuis nulla virtus in his corticibus in coquendo relinquatur, vel saltẽ pauca: propterea limonum

cort

cortices non condiuntur. Si quis autem condire tentet, nullus sapor vel odor, aut paucissimus, relinquitur, demptis paruis limonibus, qui supra citra inserti sunt. Hi enim & dulcem succum, & corticem citri corticibus affinem habẽt. Potest etiam hic syrupus ex aranciorum corticibus fieri, tamen insuaues sunt illi cortices, quia amaritudinem in habent gustui ingratam, quæ adhæret ventriculo, tamen illi confert si potui detur. Cùm hic syrupus deest, plerunque citrorum conditura vtor, quæ corticum citrorum vires maximè susceptit. Id autem quod à Mesue dicitur (& sunt qui in iuleb proiiciũt ex corticibus citrorum partes conuenientes) tres sensus habere potest. Vnus est vt doceat, syrupum de corticibus citri hoc modo fieri posse: Cum iuleb fit, & prope coctura suam peruenerit: nam (vt suo loco ostendemus) particularem coctura exigit: in ipsum citrorum cortices pone, & ad coctuæ finem bullire sinas. Tunc syrupus de corticibus citri (præter modũ iam edoctum) perfectus est. Secundus modus, qui sententiæ Mesuæ applicatur, est vt ad primi syrupi modum, quando prope coctura accedit, citrorum cortices addantur, quantitati iuleb, id est, iam syrupi perfectionem accipere volentis, pro ratione tamen, vt nõ sit plus quàm oporteat, nec mi-

nus. Etenim in decoctione quinq; librarum aquæ libra corticum sit, & viginti vnciæ reli ctæ sint, & vna zucchari libra addita sit, quæ ad spissitudinem facit: duæ vnciæ corticum citrorum sumãtur, vt syrupo vis fortior red datur, quoniam ex longa ebullitione priores cortices vires aliquas amisisse videntur. Itaq; cor, cerebrum, & ventriculum vehementius iuuabit. Nec te lateat quòd hoc nomine lu-leb ipsum syrupũ intelligit, vt pluribus etiã locis videre licebit. Tertium sensum omnes ferè pharmacopolæ sequuntur, vt non legãt corticum citrorum, sed cydoniorũ, quod re ipsa quidem cõuenit: tamen nec ab re est, citrorũ legere, & nõ cydoniorum, quãdoquidem ex citris quocunq; anni tẽpore fieri pos sit, ex cotoneis non nisi statutis, nisi quis siccos cortices seruet, tunc autẽ vires amittunt. Imò & annis superioribus citra sola hyeme ad nos ferebantur, nũc nullum est anni tempus, quo citra desint, imò & incorrupta seruãtur, & Italia nũc citreta habet amœnissima pluribus locis opere topiario dispositа, fundis mirè cõsita sunt, & apud Anxures & Formias. Anxur, quæ à viarũ asperitate nomen sortita est secundũ recẽtes, tamẽ secundũ antiquos Anxur dictũ est, quòd ibi Iupiter imberbis coleretur: quasi ἄνευ ξυρὸς, id est, sine nouacula, nũc vulgò dicitur Terracina. Formiæ

miæ autem molla prope Caietã in via Appia ſpatio tribus millibus paſſuum plus minus. SEN. Multi ſunt pharmacopolæ, qui cydoniorum cortices in vltima coctura accipiunt, alii citrorũ. Quibus inhæres tu? BRA. Hoc nihil refert, quoniã hic ſyrupus à Meſue ſine his paratur. Deniq; addit aliquos eſſe, qui prędictos cortices addere voluerunt, propterea quoſcunque cortices ſumere, nõ magni facerẽ. Id tamen ſummè optarẽ, vt duo ſyrupi ex corticibus citri pararẽtur. Vnus, qui hos cortices reciperet per aliquot dies ex aqua maceratos pro effœminatis & delicatioribus viris. Alius ex cortice nõ macerato, pro his qui amara potare nõ verentur. Nam ſi hic cortex ſine maceratione ebulliat, extremam quãdam amarulentiam in decoctione relinquit, quæ tamen huic ſyrupo efficaciores vires præſtat: vel primum ex maceratis corticibus dimittas, & citrorum conditorum condimento, illius loco vtaris. Hic etiam ſyrupus delectabilior efficietur, ſi in Iuleb ferè decoctum, cortices ponuntur. Nam zuccharum ita denſatum amaritudinem in ipſum imprimi non ſinit, & ita delectabilior efficietur, ſed minus efficax. SEN. In his tuis prædictis, non aderit moſchus, nec ſeta tincta in chermes. BR. Imò vt plurimum ex moſcho componunt. An verò ſeta illa in chermes tincta poni debeat, nõ

magnificio: quia nec Mesue dicit eam setam necessariò in huius syrupi decoctionem ingredi: imò inquit perfectiorem esse. Quod
*Moschus.* an verũ sit, ambigimus. SE. Quid sit moschus abs te discere cupio: de eo enim in simplicium examine tractare obliti sumus. BRAS. Quę de nostro vocato moscho his oculis hausi, ea audacter enarrare tentabimus. Antiqui, hoc est, Hippocrates, Dioscorides, Galenus, & Plinius Galeno antiquior, & fortè in his perquirendis accuratior, nusquam de moscho locuti sunt. Intelligo autẽ dẽ nostro vocato moscho odorato, quia muscũ herbam & marinum muscum ad vnguem pertractarunt: De moscho autẽ vel moschato nihil vnquam apud hos inuenire licuit: Græci autem posteriores, vt Aëtius, & Paulus, musci quidem vel mosci meminerunt, quid autem sit non exponunt, sed apud ipsos in compositionibus quibusdam mistus inuenitur, vt apud Aëtiũ legere potes lib. XVI. cap. CXVI. & deinceps in omnibus cõpositionibus quas moscatas appellat, quia moscum recipiunt, in ipsis mistum inuenies. SEN. Quomodo proferendum est muscus vel moschus? BRA. Nos muscum & muscatum dicimus, & apud Plinium muscus herba in Cyrenaica prouincia odorata nascitur. Græci posteriores moschum appellant, Mauritani Misch. Non est

mihi

mihi curæ quomodocunque nuncupetur, vel cum aspiratione, vel sine aspiratione scribatur, quoniam nulli sunt probati authores, qui de eo loquantur. Suadeem tamen quòd posteriores Græcos imitaremur, Moschum dicentes. Quod nomen hinc nonnulli dictum putant, quia Græci animal hoc, ex quo moschus colligitur, vitulorum colorem habere iudicarunt, quos μόσχους & μοσχάρια appellant. Alii inquiunt ita appellari, quia Græci primos stolones μόσχους vocant. Moschus autem odoratus, est tāquam in eo animāte stolo. Quicquid tamen sit, cùm Misch Afrũ nomen esse nouerim, & in Africa potissimùm hæc animalia nascātur, arbitror à Misch moschum recentes Græcos deflexisse. fit autẽ hoc modo: Animal est (quod Alphonsus illustris. Ferrariæ Dux quandoq; in deliciis habuit in sua Padana insula quę Alcinoi hortos æquat) in Aegypto, & pluribus Africæ locis in colore ceruo simile, dorcade aut capreolo paulò maius, & nonnunquàm æquale, in figura capreolo simile, vngues multifidos habens, vt capreolus, agile valde, & velocissimè currens, quod incolæ gazellam appellant. Nos capream vel dorcadem peregrinam nuncupare possumus: quanuis nonnulli voluerint, diuersum animal à gazella esse id, in quo nascitur moschus. Quicquid tamen sit,

quia

quia de incertis nominibus cura esse nõ debet, illis inhæremus, qui ex illis partibus proficiscentes gazellam appellari dicũt. Venetiis mercatores vidimus qui illustrissimo Alphõso Duci Ferrariæ gazellã vendere cupiebant, moschum in folliculo habentem. Quippe in hoc animante superfluus sanguis circa vmbilici partes colligitur, qui sanguis primò fœtet, deinde paulatim maturatur, quousq; ad suppurationẽ perueniat, & magis ac magis continuò redolet. Inest autem his belluis naturalis instinctus, cum huius abscessus maturitatem persentiũt, lapidibus atq; arboribus tumorem cõfricant, quoad duram pellẽ extenuantes pus exeat, quod odoratissimũ est: hoc incolæ colligunt, & est moschus odoratissimus, qui sponte fit, & vi ab animali nõ demitur. Tamen si in ea vltima maturitate ab animali sumeretur, eandem ferè perfectionẽ haberet. Qui autem colligunt, folliculos ex aliis gazellis abreptos habent, quos implent hoc perfecto pure, antequã maturuerit graue olet. Venetiis gazellæ folliculum odorare volui, cum esset animali iunctus, omnino grauem odorem habebat, quia nondum ad maturitatem peruenerat. Si autẽ accidat ab animali auferri antequã abscessus concoctus sit, vt auferri debeat concoquitur quidẽ, sed ineptius olet. Ad nos perfectus in copia non affer

affertur, sed folliculi solùm vi ab animali abrepti, ex orientalibus & occidentalibus partibus ad nos comportãtur: perfectior est ex Oriẽte allatus, præsertim ex illis partibus, in quibus nardus, & odoratæ herbæ nascuntur. Si folliculus ab animali dematur, ad moschũ progignendũ deinceps aptum non est. At si sponte sua exeat in maturitate confricando, tunc iterum atq; sæpius moschum facit. Eiusmodi animalia moschum quidem maturant apud nos, si habuerint quando cõuehuntur: illa etenim sanies ad coctũrã venit, tamẽ iterum nõ emittit pus, aut ineptè emittit. Quod ratione cœli, aëris, & earũ rerum, quibus vi-uit, euenire arbitror. Nec aliud excogitare possum, quàm tumorẽ illum, præter naturam toties repetitũ, materiã esse, quæ naturaliter in eo animante per illam viam per modũ crisis expellatur. Sicut in multis aliis menstrua sunt: nec id animal diu viuere posse, nisi ita expurgetur, propterea in nostro cœlo breui expiret. Nunc in mentẽ venit, quòd odoratissimum moschũ Venetiis viderim, subnigrũ, quem mercator quidã habebat, & ex prouincia Cathai se attulisse fatebatur, iter non ineptum sibi fingens per mare Euxinũ, Colchũ, Ibericham, Albaniam, quoad in Scythiam peruenerit. Est enim Cathai regio Scythiæ extra Imaũ pars. Nec mirũ videatur, quoniã

eo

eo loco regio est à Ptolemæo vndecima Asiæ tabula Randamarcostra nuncupata, in qua nardus abūdat,& quam Setus fluuius alluit: incolæ regionem, vbi optimus moschus nascitur, Ergimul vocant, particularem verò vrbem, Singui. SEN. Mirum est quomodo pus adeò redolere possit. BRAS. Non mirum,quia omnibus non redolet, imò aliquibus ita displicet,vt noceat, alii odorantes capitis dolorem incurrunt, alii attonitum morbum, Mulieres præfocationem vteri. Nobis humanum stercus mire displicet, non solùm ob odorem, sed & visu,tamen canes & gallinæ eo vescuntur, tanquam re odoratissima, quia eorum odoratus à nostro longè diuersus est.& multa brutis sapiūt,quæ nobis amara videntur: ideò non mirum si hominibus id,quod pus est alterius animantis, redoleat, cùm in maturitatem peruenerit. SEN. Nunquam deinceps hoc pure in cōdimentis vtar. BRA. Multa dimittere oporteret,si vnde veniant,& quid sint considerentur:quæ tamen optima opsonia sunt, vel ex iis saltem optima parantur:sed quod intrat per os,non coinquinat hominem, iuxta CHRISTI sospitatoris sententiā.Si harum rerum rationē habere volueris,nūquam pinguis fies. SEN.Dicas, qua qualitate moschus insigniatur. Calidum esse nemo dubitat, & etiam caliditate

insig

insigni, quod sanguinis concoctio indicare potest, præter experientiam, quæ rerum magistra est. Si enim corpori nostro applicetur, manifestissimè calefacit. BRA. Varias & diuersas partes habere facilè deprehẽdi potest. Quod siccitatem habeat, ex eo videtur, quia si corpori nostro applicetur exiccat, & præterea odor in sicco fundatur, vt Aristoteles in Meteoris, & in libris de Anima docet. Habet præterea suauitatem annexam, qua multorũ capita aggrauantur & replentur. Auicenna calidum & siccum esse in secundo ordine iudicauit. Nos autem ab eo multas partes humidas nõ remouemus, & humiditas eius multùm crassa est. Additque Auicenna citrinum, id est, luteum cæteris perfectiorem esse. Nos autem huius coloris moschũ nunquam vidimus, nisi per citrinum ferrugineum colorem habentem intelligat. Hæc de moschi generatione & qualitatibus. SEN. Post moschũ quid granum sit apud antiquos scire percupio, ne errem in moschi pondere, quòd grana quatuor esse debet: video autem aliquos siliquæ semen, alios triticum, alios hordeum sumere. BRA. Ne sis mihi in hac re molestus, quoniã de ponderibus aliâs seorsum tractabimus, rem optimè ostendentes, non ex aliorum scriptis, sed ad oculos: quia nobis institutũ est, potius sensibus loqui, quàm aliorum scripta

imis

imitari, præsertim vbi ex antiquis sensatæ rationes habentur. SEN. Magnam moschi copiam singulis annis iunioribus vendo ad venerem excitãdam. BRA. Id mirè facit, si cum oleo cicino, quod vos de Kerua appellatis, componatur: imò si virile membrum eo vngatur, adeò mulieres in Venerem proritat, vt variis & inusitatis motibus clunes moueant. Id faciunt qui in sui gratiam & amorem mulieres ducere cupiunt: quod indicium est, calidum atq; siccum esse: eius etiã odore vterus mirè trahitur, propterea eius vsus in pessariis maximus est, præsertim in vteri strangulatu. SEN. Ingreditur & hanc compositionem seta in chermes tincta. BRA. Id ex duabus causis factum Arabes putant. Primò, quia setam confortare cor arbitrantur, vt Serapio capite XXVIII. Aggregationis, & Auicenna in libello de Viribus cordis scriptum reliquere. Secundò, putãt chermes, & ipsum cordis confortatiuum esse, & setam calidam & siccam cum temperamento. SEN. Es ne tu alterius sententiæ? BRAS. In hac re quicquid sensero enodare tentabo. De seta in primis sermonem faciens, quam antiqui sericum aplarunt. In Italia antiquiori tẽpore non nascebatur: nunc passim habetur: & omnes Ferrarienses mulieres ferè eius natales norunt & artificium. Vnum tamen est, quo moueor

*Moschus ad venerẽ excitat.*

*Seta.*

vt

vt non posim nostram vocatam setam sericum appellare: quia sericum ex arbore depectitur apud Seres. Sunt autem Seres populi in Scythia extra Imaum montem, vt Ptolemæus XI. Asiæ tabula docet: in quo loco sericum nasci capite XVII. VI. lib. Plinius scribit, inquiens: Seres, lanicio syluarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem: vnde geminus fœminis nostris labor, redordiendi fila, rursumq; texendi: Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona transluceat. Seres mites quidem, sed & ipsi feris persimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt, cum commercia expetant. Hactenus Plinius. Ex quibus colligere licet supra arbores, & arborum folia sericum nasci, & à verniculo non fieri. Aliàs autem arbitratus sum, vermes supra arbores suapte natura ascendere, ibique & depasci, & sericum facere: at supra folia fieri planè constat. Hos populos Ptolemæus Sericos appellat, vbi Serici mõtes sunt: quamuis Plinius Seres vocet. Sericum nunquam vidimus quod sciamus, tamen Scythicas vestes, mappasq; Scythicas, & sudariola obseruauimus, quæ ex alia materia esse, quàm sit nostra seta, comperimus. Cum Plinio Vergilius est, inquiens: Velleraq; vt foliis depectãt tenuia Seres. & Ausonius in singulari Ser di-

*Sericum.* *Seres.*

cit,in plurali Seres. Quod præcitato Vergilii loco Seruius animaduertit: est autem Ausonii carmen, Iam pelago volitat mercator vestifluus Ser. Ex his igitur constat Antiquorum sericum nostrum nõ esse, quia ipsi è foliis lanuginem quandam aqua depectebant,deinde filabant,vt denique telas contexerent.Sed de quo miror Pausanias est,qui non vult sericũ dici eò quòd apud Seres nascatur, sed potius Seres à serico denomina-
Ser. tionem habere. Nam Ser est (vt inquit) nomen vermiculi,qui sericum facit,à quo & sericum & Seres denominantur. Quod an verum sit, non reperio:imò oppositum cõstat, vt Solinus cap. LVIII. testatur,idem ferè cum Plinio scribens. Inquit enim : In tractu eius oræ, quæ spectat æstiuũ Orientem vltra inhumanos Scythas, primos hominũ Seres cognoscimus,qui aquarum aspergine mundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt, liquoris & lanuginis teneram subtilitatem more domant ad obsequium: hoc illud est sericũ in vsum publicũ damno seueritatis admissum, & quo ostẽtare potius corpora,quàm vestire,primò fœminis,nunc etiã viris persuasit luxuriæ libido. Et reliqua de earum gentium moribus, quæ & Plinius & ipse referunt. Ex quibus habetur, arboris lanam potius esse sericũ, quàm nostra à vermicu

miculo facta seta : quanuis serici nomen ad omnes arbores lanigeras vsurpemus. Constat equidem apud alias plures gentes, præter Serias lanigeras arbores inueniri. Omnis autẽ eius generis lanugo sericũ dicitur: quia ea, quæ apud Seres nascitur, cæteris perfectior est, vnde per excellentiam aliæ lanugines sericum appellantur, tamen & suo particulari nomine insignita sunt. Plinius capite x i. lib. x i i. in Persia Gossopinos arbores appellat, qui circa fruticem lanuginem habẽt, ex quibus lintea fiunt Indicis præstantiora. In Arabia præterea Cyna arbor reperitur, ex qua vestes fiunt: & insula est in Persia, quam Plinius capite decimo x i i libri Tylus vocat, in qua arbor est cucurbitam faciens cotonei mâli amplitudine, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilos, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Hæc omnia à nobis serica nuncupantur : quanuis Plinius dicat has arbores lanigeras esse alio modo quàm serum. Si autem rem interius contemplari voluerimus, ex his telæ fiũt, quæ à nobis bõbycinæ appellantur. Nos etenim herbam habemus, ex qua bombycinæ vestes ita à nobis vocatæ fiunt, quas Latinè Gossopinas dicere possumus. Ea autẽ lana ab aliquibus inter lina numeratur, vnde xylina dicuntur: quãuis ab aliis inter lanas esse iudicẽtur. Plin. inter

lini genera xylon numerauit, vnde xylina lina. Adde quòd capite primo lib. x i x. etiam Gossopium vocat. Nos omnia ea, quæ ex arbore, vel herba nascuntur, potius inter lina numerare suademus: quæ autem ex animalibus, inter lanas: quanuis inter hęc etiam nõ multum discriminis facere, nec cum alio, qui secus dixerit, digladiari voluerim. Sunt verò qui contenderint Seres idem sericum habere, quod apud nos est, & illud vermiculos facere, nec supra folia nasci: cuius sententiæ Volateranus est, cui non solùm non assentimus, sed de eo miramur, qui Plinium, quem non rectè intelligit, reprehendit: nanque dicit nõ nasci supra folia, nisi illuc vermiculi scanderint. Sumit autem argumentum Volateranus ex Vergilio secundo Georgicorum suprà citato, dicente, Velleraq; vt foliis depectant tenuia Seres. Addit Pausaniæ authoritatem in fine sexti libri dicentem, σῆρα appellari vermiculum, id est, ser, quo sericum fit, vnde Seres populi apud Indos, quòd his potissimè abũdent. Addit & Procopii sententiam de serico in Europam aduecto. hoc autem est primo libro belli Persici, vbi inquit: Ad Iustinianum principem duos monachos eius semen (ego potius oua, quàm semen nuncuparem) ex Serinda Indiæ ciuitate Constantinopolim attulisse: ex eoque deinde sub fimo posito pau

to paulatim vermiculos emersisse, qui mori foliis enutriti sericum fecere. Inde transfusum est per reliquam Europam. Vt autē Volaterani sententiam magis affirmemus, ea addam, quæ à diuo Ambrosio capite xxiii. quinti Hexamerôn dicuntur, vbi inquit: Et quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti, quæ de verme Indico tradit historia, vel eorum relatio, qui videre potuerunt, fortè hic corniger vermis cōuerti primū in speciem caulis, vtque in eam mutari naturam in processu quodam fieri bombylis, nec eam tamen formam figuramque custodit, sed laxis, & latioribus foliis videtur pennas assumere. Huc accedat pro Volaterano Seruii testimonium, qui secundo Georgicor. inquit: Apud Indos & Seres sunt quidam in arboribus vermes, qui bombyces appellantur, qui in aranearum morem fila tenuissima deducunt, vnde est sericum: nam lanam arboream accipere non possumus, quę vbique procreatur. ex quo Seruii testimonio sumi potest, apud Seres vermiculos esse, qui bombyces dicuntur, sericum faciētes: & non esse lanā supra arbores, quia hæc vbiq; habetur. Accedat in hunc cumulū, quòd aqua calida sericū nostrū deducitur. Nec prætermittamus Suidæ testimoniū, qui idē refert quod à Procopio dictū est, duos peregrinos seniores

vel presbyteros, non autem monachos, vt Procopii interpres retulit, & etiam à Volaterano refertur: quanquam non dubitem Iustiniani tempore monachos fuisse, hi ad Iustinianũ detulere. Suidæ autem verba (ne fortè desideres) hęc sũt: Σῆρες ἔθνος, ἔνθα ἡ μέταξα γίνεται, ἐξ οὗ καὶ σηρικὰ τὰ ἐκ μετάξης ὑφασμένα λέγονται, καὶ σὴρ, σηρός, ὁ σηώληξ. Σηρικὴ, ὅτι ἡ μέταξά ἐστιν, ἐξ οὗς εἰώθεσαν τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι ἣν πάλαι μὲν ἕλληνες μηδικὴν ἐκάλουν. τὰ δὲ νῦν σηρικὴν ὀνομάζουσιν. ἐπὶ δὲ ἰουστινιανοῦ πρὸς αἰθιόπας πρεσβεύονται ῥωμαίοι, ὅπως οἱ αἰθίοπες ὠνούμενοι τὴν μέταξαν ἐξ ἰνδῶν, ἀποδόμενοι δὲ αὐτὴν ἐς ῥωμαίους αὐτοὶ μὲν κύριοι γένωνται, μεγάλων χρημάτων. ῥωμαίοις δὲ τοῦτο ποιήσωσι κερδαίνειν μόνον, ὅτι δὴ οὐκέτι ἀναγκασθήσονται τὰ σφέτερα αὐτῶν χρήματα ἐς τοὺς πολεμίους μεταφερεγκεῖν, καὶ σηρικὸν νῆμα, καὶ σηρικὰ ἱμάτια. Quem si interpretari voluerimus, hæc dicit: Seres gens, apud quam ea, quæ vulgo à nostris seta dicitur, à Græcis metaxa, gignitur: vnde & serica dicuntur, quæ sunt ex seta contexta: & ser seris vermiculus. Sericum idem est quod metaxa, id est, seta: ex quo consueuerunt vestem conficere: quam olim Græci medicam vocabant: nunc sericam dicunt. Tempore Iustiniani Imperatoris Romani ad Aethiopas legationem miserunt:

vt

vt Aethiopes ementes ſericum ab Indis, & id per manus tradentes Romanis: ipſi quidem magnam pecuniarum vim compararent: Romani verò hoc vnum lucrifacerent, ne cogerentur in hoſtes ſuam pecuniam transfundere: hinc dicitur & filum ſericum, & ſericum veſtimentum. Nos autem ab his diſſentire cogimur, quicunque hi ſint, qui Plinio aduerſari volunt: quippe ſcimus ſericum apud Seres in arborum foliis naſci, tanquam lanugo, vt ſupra cotonea mala lanuginem videmus. Ampla autem eſt, & oblonga apud Seres, vt filari poſsit: quod non ſolùm ex Plinii teſtimonio ſcio, ſed viros allocutus ſum, qui totam Scythiam peragrarunt, hi referunt ſupra arborum folia naſci, & ipſa folia reduci. Huc afferam Ammiani Marcellini teſtimonium, qui libro XXIII. idem cum Plinio ſentit, inquiens: Agunt ipſi quietius Seres, armorum ſemper & præliorum expertes, vtique hominibus ſedatis, & placidum eſt otium voluptabile, nulli finitimorum moleſti. Cœli apud eos iucunda, ſalubriſque temperies, aëris facies munda, leuiumque ventorum commodiſsimus flatus, & abundè ſyluæ ſublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarũ aſperginibus crebris velut quædã vellera mollientes ex lanugine & liquore

miſtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque ſubtegmina conficiunt ſericum, ad vſus antehac nobilium, nunc etiam infimorum ſine vlla diſcretione proficiens. Ipſi præter alios frugaliſsimi, pacatioris vitæ cultores, vitant reliquorum mortalium cœtus: cumque ad coëmenda fila vel quædam alia tranſeunt flumen aduenæ, nulla ſermonum vice propoſitarum rerum pretia ſolis oculis æſtimant, & ita ſunt abſtinétes apud tradentes genita, nihil ipſi comparant aduétitium. Ex quibus manifeſtè colligitur, Marcellinũ idem cum Plinio ſentire, & verè ſentire: eos autem longe decipi qui aliter ſentiant: nam ſericum verè lanugo eſt ſupra arborum folia concreſcens. SEN. Authores tamẽ, quibus innituntur, deſpiciendi non ſunt. BRA. Non equidem, ſi ab illis intelligerentur. SEN. Volateranus igitur authores non intelligit? BRAS. Non lubet ſupra hanc rem iudicium ferre, fuit equidem vir multæ lectionis Volateranus, ſed non multi iudicii, qui nõ animaduertit alios authores à Plinio aberrare potuiſſe: nempe difficile eſt Plinium ſummũ virum taxare, non quia & ipſe vir non ſit: ſed difficile, quia niſi certas & ſtatutas rationes habeamus, ſilẽdum potius eſt, quàm incerta effutire. Vt autem exquiſitius recentiorũ errores oſtendam, qui volunt apud Seres ver-

mic

miculos esse supra arbores, & non foliorum lanugines, id scire te volo, apud antiquiores nostrum sericum bombycē appellari: nam, vt Plinius libr. XI. cap. XXIII. docet, in Assyria genus est bombycum nidos luto facientium, & ceram longè copiosius quàm apes parientium: hic nō est vermiculus iste, qui nostram setam facit, sed erucæ genus est. Deinde addit esse aliam originē huius vermis: nam habet duo veluti cornua, nec is est, qui nostram setā faciat. Postea inquit: fit bombylis, ex quo necydalus, ex hoc in sex mēsibus bombyces. Telas araneorum more texūt ad vestem, ad luxum virorum ac fœminarum, quæ bombycina appellatur: hic est ille vermiculus, cuius oua inter mammas nostræ mulieres fouent, & vermiculi nascuntur setifici passim per totam Italiam nunc, de quo elegantissimè Hieronymus Vidas Mātuanus cecinit. SEN. Igitur nostra seta apud antiquos bombyx erat? BRA. Erat quidē, & Plinius cap. XXIII. eiusdem lib. XI. tertium genus ponit in Co insula inuentum, quod propriè ad nos perlatum est in Italiam ex foliis arborum caducis natum: & est hoc, ex quo propriè nostra vocata seta fit: & quanuis ex cupressi, terebinthi, fraxiniique foliis nascatur, & furfure pascerent, tamen inuentum est temporis processu morum maximè amare, quanuis & alia quæli-

bet folia amet, ſed non ita bene ſetificat. Mulieres Ferrarienſes in primo vere antequam mori folia eruperint (quia poſtrema arborum morus germinat, ideò ſapiẽtiſsima nuncupatur) ſuos vermiculos lactuca nutriunt. Vehementius nigræ mori folia amat, & propterea ſi hæc comederit, elegantius ſericum, & abundantius facit. Noſtra igitur ſeta ſericum dici non debet, ſed bõbyx, quia ita apud antiquos appellabatur. SEN. Quid ergo erit, quod vulgò bombaſo dicitur? BRAS. Quod ab antiquis gonſopium vocabatur, ex arboribus vel herbis. Nos cotonum vulgò dictũ habemus: In Creta naſcitur ex frutice paruulo, fructum ſimilem barbatæ nuci ferentem. In Apulia, & Oenotria etiam frequentiſsimum habetur, & in Maltha inſula prope Siciliam, quam ſuperioribus annis equites Ierоſolymitani vel Rhodii Rhodo amiſſa nõ vi, ſed proditione, ſibi coloniã elegere. Nos etiã Ferrariæ cotonum vidimus, & plantauimus, ac collegimus. Quare cotonum noſtrum, ſericum potius appellandum duco, quàm noſtram ſetam: quia omnia lina (hæc ita nunc appellantur) quæ vel ex arboribus vel herbis initiũ ſumũt, potius ſerica nuncuparẽ, quàm bombycem, ſi propriũ nomen nõ haberent, tamen habẽt, quia quod apud Seres naſcitur ſericũ dicitur: quod in Oenotria, goſipion.

Noſt

Noſtra autem ſeta ab antiquis bombyx dicta eſt, à nobis ſeta, quoniam primi panni ex ea confecti longiores villos in morem ſetarum habebāt: eſt enim ſeta quaſi ſueta in ſue pilus. Illud tamen prætermittendum non eſt, poſteriores Græcos hoc nomen ſericū, etiā noſtræ ſetæ à vermiculo factæ attribuiſſe, & σηρικὸν dixiſſe, quanuis & μίτακξαν appellāt. SEN. Ea, quæ de ſerico à te enumerata ſūt, breuibus collige. BRA. Libenter cotonū vel bombaſo Goſopium eſt apud antiquos, noſtra ſeta bombyx: quanuis & recētes Græci σηρικὸν, id eſt, ſericū appellent, ſed diuerſa appellatione: quia antiquū ſericū ita nūcupatum eſt, quia apud Seres fit, in Scythia, id eſt, Tartaria, & inde pulcherrimū ad nos fertur, & pulcherrimas texturas Scythicas obſeruaui, quæ aliā ſpeciē habebāt quàm noſtra ſeta faciat. Noſtra autē ſeta dicta eſt ſericū à ſere vermiculo ipſam faciēte: ita enim hic vermis in aliquibus Indiæ partibus nuncupatur. SEN. Vnum eſt, quo diſcrucior, quid ſcilicet ad eorum virorum authoritates dicendū ſit, qui oppoſitum ſentire videntur. BRA. Dicas à recētibus non rectè intelligi. Nā Vergilius pro nobis eſt, quando depectunt tenuia vellera foliis Pauſanias autē dicit, Seres eſſe Indiæ populos, quam ob rem opus eſt, eſſe alios Seres in India, quàm apud Scythas. Σηρικὸν.

Non de

Non defuere tamen, qui proceres apud nos appellantur, dicentes Seres in India esse, & Scythiam esse Indiæ partem: qui quantum hallucinentur, clarum est Cosmographos considerantibus. Nam Scythiam diuidunt in Scythiam extra Imaum montem, & Scythiam intra Imaum montem: Seres & Serica regio sunt in Scythia extra Imaum montem, cuius termini hi sunt, Ab occasu habet alteram Scythiam & Sacas, à Septentrione terram incognitam Ptolemæo, ab ortu Sericam, à meridie partem Indiæ extra Gangem, similiter Serica à meridie partem Indiæ extra Gangem, vt videre liceat Sericam aliam prouinciam ab India esse, si in Scythia sit: si autem per se prouincia sit, adhuc ab India diuersa est, quia ad Indiam à meridie terminari dicitur à Ptolemęo. Addeq; India trãs Gãgẽ dicitur terminari ad Sericã: nã ab occasu alteram Indiam habet, & Gangem fluuium: à Septentrione, Scythiam, & Sericam: ab ortu, Sinarum regionẽ: à meridie, Indicum pelagus. Propterea quòd à Pausania dicitur, Seres populos esse apud Indos à fere vermiculo deuominatos, gẽtes alias esse, putare oportet, quàm quæ in Serica apud Scythas viuũt: nã in India, maxima nostræ setæ copia est, cuius maximũ emporium in Calechut fit: quantuis & ex Serica regione illuc afferatur. Vides etiam,

quod ex Procopio adducitur, esse apud Indos, non inueniri apud probos authores, aut Serindam, aut Seres in India: arbitrorq; monachos illos non attulisse vermiculorum oua, aut ex Serica, aut ex Serinda, sed potius ex Assyria, vbi maxima est horũ vermiculorũ copia, & inde Cõstãtinopolim facillimus est trãsitus. Quod præter rẽ nõ est, illos monachos ex Ierusalẽ & partibus Syriæ venisse, aut fortè ex Seri regione venere, quæ in tractu est regionis Colchicæ: vel quum nostro hoc tempore in Persia, Eri, sit vrbs, ita fortè dicta corrupto vocabulo, quasi Seri, in qua ingẽtissima est huius setæ copia, adeò vt totus alicuius etiam magnæ vrbis populus seta vestiri possit, quæ à vermiculo fit, fortè illi monachi inde venere. Quod verò additũ est ex diuo Ambrosio, nihil ad rem, quia de verme Indico sermonẽ habet, nõ autẽ de Serica regione. Nos autẽ fatemur nostrũ vermiculũ ex India allatum esse, aut ex Eri parte Persiæ in regione quę Chorazani nunc dicitur, quãuis & ex Colcho, & ex Tyro, & ex tota Assyria potuisset Cõstantinopolim à monachis, aut senioribus quibusdã ferri. Seruii autem testimonium satis videretur, nisi maior esset Plinii, Marcellini, Solini, ac Melæ authoritas, & etiam veritas oppugnaret: mirorque de ipso qui dixerit, nos lanã arboream accipe-

re

re non posse, quæ vbiq; procreatur: quia arborea lana, quæ sericum sit, non nisi apud Seres procreatur. SEN. Breuibus quæ dicta sunt conclude. BRAS. Nostra seta apud antiquos
*Bombyx.* bõbyx est, apud posteriores Sericũ, non quidem deductũ à Serica regione, sed à sere vermiculo. Nostrum cotonũ vel bombasum gossipion est SEN. Fertúrne sericum ad nos è Serica regione? BRA. Fertur quidem, & præsertim pulcherrimæ vestes feruntur, sed à nobis tota ea pars Tartaria nuncupatur, quanuis post Ptolemæi tempora, regiones inuentæ sint, & potentissimi reges, ac bellicosissimæ gentes post Sericam: quippe inuenta sunt, Tagus, Tholonia, Chairam, Chatay, & multa alia illis antiquioribus ignota, e quibus pulcherrima serica veniunt. Habes igitur quid sericum sit, & quòd nostra seta non sit verè sericum. An modò seta nostra calida sit, & cor cõfortet, inquirendũ est, quod per duos tramites agere tentabimus. Primus est, via regia, id est, experientia ipsa rerum magistra, ex qua manifestè deprehenditur, setam siccam esse: sed an calida sit facilè deprehendi non potest. Alia via est ex causis rerum sumpta, naturam horum vermium considerantes, & quibus nutriantur. Nutriuntur hi vermes apud nos morifoliis, quę summopere amãt: vndę ex horum foliorũ qualitate, & se-

tam

tam esse putamus, quanuis nulla ferè sit herba, qua non saturentur: imò Ferrariẽses mulieres antequã mori germinauerint, lactucæ foliis libenter pascunt: sed opus sericum totũ ex moro est. morus autem frigidam temperaturam habet, ideo sericum nostrum frigidũ esse censeo. An verò cor confortet, à nullo authore dicitur, qui fide dignus sit, Serapione & Auicenna demptis. Serapio tamen id non asserit, sed à quibusdam medicis dici asseuerauit. Nobis autem ea cordi conferre videntur (vt Galeno placet) quæ odorata sunt. Seta autem non solùm odorata non est, sed fœtet, nisi ab alio odorem sumat: ideo à compositionibus, quæ cor roborare habent, potius arcerẽ, quàm recipere voluerim. SEN. Tamẽ hic mos valde incaluit. BRAS. Quicquid sit, & quomodocunq; vsus processerit, hanc esse veritatẽ non solùm arbitror, imò scio, & potius alicuius cor roborares, si eum serica veste donares, quàm si libram serici comederet. SEN. Nos sericum accipimus vt chermes infectum. BRA. Et hic alius error est priore maior: quia sericũ ita infectũ in primis præparatur vt colorem recipere possit: præparatur autem liquido alumine, quo primo imbuitur, liquidum autem alumen ventriculo aduersatur: quomodo igitur hic syrupus ad vẽtriculũ valebit? Adde postquã sericum

in cher

in chermes ebullitionē immersum est, statim in rem quandā immergūt, quæ nostra lingua Mistra nuncupatur: in quā gallæ ingrediuntur, ipsi pope appellant. Suaderē igitur, vt setam in chermes tinctam non acciperes. SEN. Quid igitur sumemus? BRA. Aut nihil, aut ipsum chermes sine seta. SEN. Vidi, qui granū tinctorū pro chermes acciperent. BRAS. Hi minus despiciendi sunt, quàm qui setā in chermes tinctam sumunt. Sed quia facillimum est habere chermes, ideo potius ipsum habere cures, quod etiā vili pretio assequeris, nempe Venetiis non expendes pro qualibet libra, quatuor libras Venetas. Non est autē coccus chermes, qa coccus est nostra vocata grana, quæ ex Cypro affertur, & in Italia etiā nascitur: vnde multi decipiūtur, qui putant chermes esse coccū. SEN. Reperitúrne apud antiquos chermes? BRA. Non erat in magno vsu apud eos, tamē ipsum reperio: non tamē sub hoc vocabulo chermes, sed sub cocco. SEN. Rem inauditam dicis. BRA. Fortè magis miraberis, si tibi dixero in Italia esse chermes, & in Apennino, Regiū Lepidi versus, nos excauasse, sed (vt arbitror) tinctura ineptum, tamen experti non sumus. SEN. Quid dicis excauasse? Chermes semen esse putabam. BRA. An semē sit, an nō sit, ambigo: quid autē putem, aut dubitem, afferre non grauabor. Sci-

*Coccus.*
*Chermes.*

to ex

to ex herbarum radicibus sumi: & non esse semen, quod extra terram herbis insit. Ego frequenter excauaui, & granula circa radices collegi, quæ breui tempore in vermiculum transeunt. SEN. Quomodo trāsire possunt? fitne ex semine vermis? BRA. Aperitur semen, & parua quædam formica alata exit, quæ auolat, exterior cortex inanis relinquitur, qui ad tinctura nihil valet: & hic est cocci vermiculus, qui apud diuū Hieronymum reperitur, & in sacris literis legitur Tinctura ex vermiculo, id est, rein vermiculū tendēte, imò propriovermiculi sanguine, in ea re quę semen videtur, vel paruū ouū, incluso. SEN. Quomodo prohibetur, ne in vermiculum transeat? BRA. Cùm ea semina, vel quicquid sint, statim à radice demuntur: in aliquibus locis aceto inspergūt, vt velox illa generatio extinguatur. In alijs locis in butyrū, aut pinguedinē iaciunt, quæ vermē extinguūt. SEN. Quæ herba est illa, cuius radicibus inhæret chermes? BRA. Multæ sunt herbæ, sed vna inter alias parua, incisa multū, quæ pimpinellæ folia imitatur, tamen magis incisa sunt. In multis Germaniæ locis colligitur, & in Polonia, præsertim apud Cracouiam vrbem regiam, circa Vistulū flumen: imò Poloni chermes appellant cleruicel, quod etiam nomen mensis est, in quo potissimùm chermes col-

ligunt: solùm enim apud Polonos hoc mense colligitur. Et quod in Polonia nascitur alia plura in perfectione excellit. In Hetruria quoq; nascitur, & Hetrusci putant genus pimpinellæ esse, & hanc herbā suo vulgari nomine strellam appellāt, alii thrialmū. Nascitur autē & sub aliis herbis: nam Poloni tres herbas habēt, sub qbus nascitur. Vna est, quam ipsi appellant nyedospialek, putāt esse auriculam muris, tamen non est illa Dioscoridis, sed ipsi ita appellant. Nascitur & sub parietaria, & sub siligine, quā Gręci & Latini olyrā, Poloni zito: nos segala vocamus. Sed hanc nō excauant, quia maior est prouentus ex siligine quàm ex chermes. SEN. Cur dubitas an semē sit? BRA. Quoniam in vermiculum trāsit. SEN. Apud nos etiam multa legumina vermiculi efficiuntur. BRA. Non ita citò, nec in vniuersum, sed ex corruptione vna tantùm parte leguminis in vermen transeunt, qui aliam partem comedit. Quòd autem sit ouū, & non semen, mihi persuadet etiam sub variis herbis inueniri: vnde suspicor esse aliquorum vermium oua, vel subterraneorum animalium, vt suadet illa cita vermiculi generatio: & si vermiculum volantem digitis interfeceris, purpureum cruorem, aut purpuream humiditatem emittit, qua digiti inficiuntur: imò si in granis chermes, quæ Vene-

tiis

tiis venduntur, ſpectes, nonnihil ineſt, quod vermiculi colorem habet. Adde quum ſeneſcit non tingere: quod indicium eſt, humiditatem illam purpuream exiccari. Ideo ſuſpicatus ſum ouum eſſe, & non ſemen, & præſertim, quia & illa herba pimpinellæ ſimilis, & aliæ, in quarũ radicibus chermes inuenitur, aliud ſemen habent ſupra terram, quo propagerãtur. SEN. Quid in cauſa fuit, vt in hoc ſyrupo chermes acciperetur, & feta in eo tincta? BRA. Quid ſentiã aperire enitar. Quod Græci coccũ dicũt, Arabes chermes, vel cheſmen appellant. Ideo vbi in Arabũ cõpoſitionibus ponitur chermes, coccus ſumi debet, vt apud Serapionẽ videre licet, ca. CCCXXI. Verùm quia granũ id, quo ſetã inficimus, dicitur & ipſum cheſmes, & nos chermeſinũ vocamus colorem illũ floridũ, & chermes hoc granum noſtra vulgari lingua. Propterea recentes in Arabum compoſitionibus cùm chermes inuenere, noſtrum chermes accipiunt, cùm potius coccum accipere debuiſſent, qui eſt verus Arabum chermes, vt facilè videri poteſt, ſi quis Serapionem, & Dioſcoridem legat. Inquit enim Serapio: Cheſmen apud Dioſcoridem eſt arbuſtum, quod adminiſtratur ad accendendum ignem, & eſt mediũ inter arborem & herbam, cuius rami ſunt multùm ſubtiles, ſuper quos ſunt grana

*Chermeſinus color.*

rotunda ſimilia lenticulæ, quæ colliguntur, & reponuntur, & conſeruantur, & conficiuntur ad tingẽdũ. Et melior grana eſt illa, quę defertur ex terris quę dicũtur Galates & Andabuſi, & ex Armenia: & ſecunda eſt illa de Siana & Lithia: & deterior omnibus eſt Hiſpana. Reperitur autẽ in arbore glandiũ interius Calchi animal teſtoſum paruum, ſimile limaciis, & colligũt illud mulieres cũm ore earum. Hæc Serapio ex ſententia Dioſcoridis, ſatis barbarè & infidè. Cui ſi Dioſcoridẽ in capite de infectorio cocco perleges, idem cum ſuo cheſmos eſſe deprehendes. inquit enim Dioſcorides: Κόκκος βαφικὸς, id eſt, granum tinctorum ſurculoſo naſcitur frutice, cui grana lenticulæ adhærent: leguntur hæc ad vſus, componunturq;. Optimum eſt è Galatia & Armenia: ſequens ex Aſia Ciliciaq;: peſsimum ex Hiſpania. In Cilicia è roboribus prouenit limaci paruo ſimile, quod loci eius mulieres exceptum ore, coccum ſpeciali ter appellant. Vbi vides chermes apud Serapionem eſſe Dioſcoridis coccum. Quid autem per id velit Dioſcorides, quod mulieres excipiant ore, non poſſum aliud coniectari, q̃ ita excipere vt melius ſeruetur: inde enim nõnihil maturitatis cõtrahitur. Aliter enim quid ſentiat, imaginari non poſſum, niſi codex corruptus ſit, & aliquid deſit: imò aliàs

putaui

putaui coccum Dioscoridis esse nostrũ chermes,& mulieres ore accipere,ne in vermiculum transiret. Sed hoc me dimouit à tali sententia:quia dicit nasci frutice surculoso:herba autem est, ex qua nostrũ chermes ortum habet: Coccus autem infectorius nascitur ex frutice,& de eodem loquens,dicit in Cilicia è roboribus nasci:apparet autem quod è roboribus nascitur, esse granum quod tingendo est,non autem chermes. Vel dicimus in codice Dioscoridis nullum esse vitium, sed locum fuisse ab interprete malè intellectum. Cuius loci verba sunt: ἣν δὲ τῇδε γυναῖκες τῷ στόματι ἀναλέγεσθαι κόκκον καλοῦσιν. quæ sic ad verbum transferas:Quem eius loci mulieres ori colligentes, coccum vocant. Mulieres enim colligunt coccũ ori, id est,ad os tingendum ac fucãdum : vt τῷ στόματι nõ septimi apud nos casus, sed datiui vim habeat.Illã autem vocẽ,euulsum vel exceptum, de suo addidit interpres, neque vsquam est in Græca litera. Cuius rei magnificus, & reuerendissimus CAELIVS Calcagninus, vir vndequaque doctissimus,me attentum fecit. Sed ad rem nostrã redeũtes, Cũ in Mauritanorũ compositionibus chermes, aut setam in chermes tinctam reperies : noli chermesinum intelligere, sed infecturam in coccum, id est,in granã tinctorum appellatam : vnde

coccinea veſtis apud antiquos. eſt enim alia res chermes. Ideò illos nõ multùm reprehendo, qui pro ſeta in chermes tincta coccum ſumunt. Adde tamen nec ſetam tinctã aut pannum ſumẽda eſſe ob præparationẽ. An verò cor roboret, nondum apud aliquem authorẽ fide dignũ reperi, ſed tantùm adſtringere, & vulneribus neruorum prodeſſe. Tamen ſupinus quidã error apud nõnullos planè quintę claſsis medicos inuenitur, qui granum, quod tingendo eſt, ad prouocandos menſes exhibent, cùm plurimùm ſupprimat, vt ego plerunq; eius puluerẽ exhibeam his mulieribus, in quibus de abortu dubium eſt. Et quia nõnullæ ſponte abortire volunt, ne in furto deprehendãtur, petentes vt in hac re illis opem darem, ego hoc granum exhibui, ne ſi vellẽt, abortire poſſent. Qui autem ducere menſes fatentur, argumentũ ſumunt ex colore, quia rubrum, ac ſi rubra menſes ducãt: multi enim maximam propoſitionem habent ſummè falſam: Omnia rubra menſes prouocare. tamen multa rubra inueniuntur, quæ vim adſtrictinam habent. Scitoque quod à Dioſcoride dicitur, Cuius grana lenticulæ adhærent, non eſſe intelligendum grana lenticulæ figuram habere, ſed quòd more lenticulæ inhærent.

SEN. Igitur non eſt noſtra, qua tinguntur in chermes? BRAS. Non, vt videtur. SEN. Igitur noſtr

noſtram granam edoceas, & quid illud ſit, quo nunc in Chermeſinum tingunt. BRAS. Noſtra grana eſt coccus baphice, id eſt, granum infectorium Dioſcoridis, & Plinii, & chermes Serapionis, ac Mauritanorũ. Quid autem ſit apud antiquos chermes noſtrum, quo floridus color, quem chermeſinum vocamus, fit, dubium eſt. Tamen bene Plinium conſiderans viſus ſum expiſcatus eſſe grana noſtra in Cypro, & Creta, & pluribus aliis locis naſcitur, Venetiasque affertur ex puſillo frutice folia habente, ilicis aquifoliæ ſimilia, vt Plinius libro XVI. capite octauo docet: tamen hæc folia parua ſunt, & ſpinoſa. Tamen & in robore coccus naſcitur, præſertim in ilice, vt Plinius capite quarto lib. XXIIII. teſtatur. & Theophraſtus tertio de plantarum hiſtoria, inquit: granum puniceum facit. de his loquitur, quæ in arboribus fiunt, tamen fructus nõ ſunt, vt nux auellana, quæ villum callo compactili facit. Idem in eodem libro repetit, cùm omnia enumerat, quæ in ilice naſcuntur. SEN. Ea igitur, quæ in ilice naſcitur, noſtra grana eſt. BRAS. Non eſt, ſed à Plinio cap. IIII. lib. XXIIII. coccus ilicis appellatur. Eſt aliud granum à cocco, ſed & ipſum tingit. Si autem apud antiquos noſtrũ chermes reperiatur, eſt id, de quo Plinius præcitato loco inquit: eſt autem genus ex eo (ſci-

licet cocco) in Attica ferè, & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideò scolecion vocant, improbantq;. Si apud antiquos nostrum chermes sit, est coccus scolecion: nam chermes nostrum ocyssimè in vermiculum trãsit. Vnde tria cocci genera apud antiquiores scripta inueniuntur. Coccus infectorius absolutè, qui nostra grana est ex arbuscula pusilla nascens, folia circinata spinosa habens parua: & coccus scolecion, qui fortè est nostrum chermes, nisi intelligas esse genus aliquod cocci ilicis, quod in vermiculum citò transeat scolecion dictum: aut dicas non habuisse rationẽ tingendi ex scolecio, qualem nos habemus, ideò ab ipsis scolecion despiciebatur, nobis autẽ facit colorem magis floridum, quàm coccus baphice faciat. Tertium est, coccus ilicis, vt ex his omnibus colligere possis quid sit chermes apud recentes, & nunquid apud antiquos reperiatur. An verò cor roboret chermes, nec antiqui nec recentes prodidere: non antiqui, quia apud ipsos quid sit non reperitur. Arabum enim chermes est coccus baphice, quem granũ vocamus. Recẽtes etiã nihil prodidere, quia ipsi de chermes loquentes, de eo verba habent, de quo Arabes scripsere: propterea in hoc syrupo chermes dimitterem, veluti vnum, de quo experimenta sumpta non sunt. quod an

*Scolecion.*

*Cocci tria genera apud antiquos.*

calidæ

calidæ naturæ sit, an frigidæ, si scire cupias, ca lidæ naturæ esse illud ostendit, quòd celerri-mè in vermiculum transit: ea enim cita gene ratio caliditatẽ notat. SEN. Mihi videtur mi-rum, antiquos adeò modicè de nostro cher-mes esse locutos. BRA. Ne admiratione affi-ciaris, quoniam fortè nihil locuti, nisi id sit, quod coccus scolecion à Plinio nuncupatur, quãuis plerunq; dubitauerim quod esset coc-cus, de quo Plinius cap. XL. IX. lib. vbi de tin-gendo Amethystino tractat, & inquit coccũ Galatiæ rubens granũ. postea addit, vt dice-mus in terrestribus. Putabam hanc particulã à Plinio positã esse, vt sub terra nasci animad uerteret. Nostrum autem chermes vel ouum sit, vel semen, sub terra nascitur: est enim gra-num illis radicibus inhærens, quod potest ra-tione coccus appellari. Idem enim est apud Græcos κόκκος, quod apud Latinos granũ. SEN. Si autẽ reperiretur qui & setam, & cher mes in hunc syrupũ imponere voluerit, quo-modo agere debet? BRA. Aut seorsum setã, & chermes ponat, aut hoc modo præparet: Accipiat libram chermes, quod in puluerem redigat, sintque igni suspensæ in æneo lebete quinq; aquæ libræ, quæ cùm calida est ante-quam feruere incipiat: in eam chermes pulue rizatũ iniiciat, deinde vna ebullitione bullire faciat, & ab igne deponatur: postea setam,

quam crudam vocant,(eo quòd nullum colorem ſuſcepit) in prædictam aquam ponat: & donec optimè imbibatur,relinquat:deinde eam ſtatim exprimat, factaque mediocri expreſsione, in ſuccum pomorum dulcium,& aquam roſaceam infundat.SEN.Igitur exiccari non debet?BRA.Non debet exiccari, ſed debet ſtatim in prædictum ſuccum & aquam infundi, & ſtatim pharmacopola cùm extrahit, ſuo vſui accommodare debet:quia ſolùm eo tempore præparanda eſt, quando ſyrupum hunc conficit.SEN.Quę proportio ſetæ eſſe debet ad chermes?BRAS. Pro libra ſetæ,libra chermes ſumatur,ad imbuendum. Vnum tamen eſt,in quo de vobis pharmacopolis miror, qui ferè ſemper hunc ſyrupum candũ habetis,id eſt, quo zuccharum cõcreuit.SEN.Aliter fieri non poteſt.BRAS. Quia arte caretis, qua fiat. Multi ſunt modi, ſed vnus hic præcipuus eſt, addere parum mellis zuccharo: hoc enim prohibet, ne zuccharũ in duritiem illam(quam vulgus candum vocat)concreſcat. Mel tamen prohibere nõ poteſt quin dureſcat in proceſſu temporis, ſed bene prohibet ne candeſcat (vt hoc vocabulo vtar) tamen non dureſcit, niſi longo tempore tranſacto.Sed interim à Pharmacopola venditur.At vnum aliud apud pharmacopolas obſeruaui,hunc ſyrupum mucidum fieri.

SEN.

SEN. In hoc non sinam te mentiri, sed causam ignoro. BRA. Facilè reddā: & si nostro modo parabis, nunquā aut hic, aut alter syrupus mucidus fiet. SEN. Dic obsecro. BRA. Mucor, & muciditas ex superflua humiditate fiunt: hoc manifestè deprehenditur in doliis vinariis, quādo guttæ delambendo vas exeūt, mucor fit ob eā humiditatē, & quanto magis vinū aquosum est, tātò magis mucore abūdat. Eodē modo, quādo è naribus humiditas exit, mucor fit, & ideò pueri ob ingentē capitis humiditatē cōtinuò nares mucore plenas habent, & in humidis locis semper situs & mucor generatur. SE. Fortè piscantiū nares semper mucidæ sunt, & perstillātes: quia intrinseca humiditas ab extrinseca allicitur. BR. Ridicula, sed nō præter rem ratio. Idem in vestris syrupis accidit, quādo syrupum vsq; ad aquæ & humiditatis resolutionem non decoquitis, mucidus fit. Igitur si ad vnguem decoquatis, mucidū nō fieri animaduertetis. SEN. Mucor etiam ex caliditate fieri videtur: nām æstiuo tempore, & sæuiente cane, panis potissimūm mucidus fit. BRA. Idem ex humiditate causatur: tunc enim calor aēris, intrinsecam panis humiditatē ad extrinsecas partes allicit, vnde intrinsecus exiccatur panis, extrinsecus humescit, & mucidus fit: quod vt euitetur, iubeo mulieres meas panariam capsam tota æstate

æstate in cella vinaria seruare, quoniam loci frigiditas panem mucidum fieri nõ sinit. Sed hæc alio commodiori loco tractanda sunt. SEN. De hoc syrupo satis dictum erit, si quæ in ipso omittenda sint, breuibus repetas. BR. Setam, & chermes omitterem, quæ ad rem nihil faciũt, imò seta in chermes tincta ob præparationem obest. SEN. Prosequárne alios syrupos? BRAS. Tibi ipsi cãtare poteris: mihi enim fabulam surdo cantabis, nempè cœnare decreui, quoniam fame plus quàm Saguntina premor: cœnãs autem nõ obaudio, præsertim in prima mensa, vbi dentes solũm strident. SEN. Igitur canina fame premeris? BRAS. Imò humana: heus puer, sterne mappam, vosque ancillæ, dapes in mensam portate, tuque manibus lymphas præbe. Obaudio nunc senex, quoniam ea vulgata sententia vera est, Ieiunus venter, non audit verba libenter: licet ineptiori carmine dicta sit. Et Catonis vetus sententia est: Venter aures nõ habet. Mẽcum in cœna eris: postea syrupos alios, & cætera composita medicamẽta prosequeris. Interim dum hæc pediſſequæ in refrigerandis dapibus retardant, hæc striblita in spiram versa famem sedare incipiet.

BRASAVOLVS.

QVid impedit nũc syrupos iam cœptos prosequi? Postquam exempta fames,

mes,& amor compreſſus edẽdi,& omnes inuicé loqui incipiunt, quia prope finem ſunt, in quo rumor gentium fieri ſolet. SEN. Tu iuuenis properè comediſti, imò tuburcinatus es. Ego edentulus nondum huius comœdiæ actum primum exegi. BRAS. Vno verbo ſequentem ſyrupum nomina, qui in tua ſcheda ſcriptus eſt. SEN. Ego prius huius clupeæ geniturã, & hos fluuiatiles cancros comedam, biſque hũc cyathum exhauriam, quàm de ſyrupis verba facturus ſim. BRA. Et ego interim bellaria depromam. SEN. Sum bellariorum ſatur. Syrupus, qui ſequitur, is eſt, qui de acetoſitate citri appellatur. BRA. Ego potius de ſucco citri nuncuparem, quia intrinſeca citri pars tota ſuccus eſt, quibuſdam pellicu-

*Syrupus de acetoſitate citri.*

lis demptis. Hunc autem ſyrupum ſecũdum Meſuæ ſententiam parant pharmacopolæ, cuius compoſitio hæc eſt per Meſuæ verba deſcripta, vt ſimul & compoſitionem, & Meſuæ verba, vt ab ipſo authore dicuntur, habeas: Recipe ſucci acetoſitatis citri, libras duodecim: decoque in vaſe vitriato ſuper prunas cum facilitate vſque dum conſumatur tertia pars ipſius: deinde coletur, & dimittatur donec clarificetur: & accipe ex eo quod clarũ eſt, libras ſeptem, & funde ſuper ipſum ex Iuleb claro & depurato libras quinque, & coquatur donec inſpiſſetur. Si autem

autem æstas fuerit, dimittatur in sole, donec eius aquositas consumatur. Hæc est secundũ Mesuen huius syrupi cõpositio. Addit deinde eius iuuamẽtum magnum esse in extinguendo inflammationes choleræ rubeæ, & febres inflammatiuas vehementes, & febres pestilentiæ, & propriè quæ fiunt in æstate venenosa, & confert ebrietati, vertigini, & siti vehementi. SEN. Possesne vno verbo ad quid valeat exprimere? BRA. Possum. Ad omnes ægritudines bilioſas ex pura bile valet, & pestilentes, vel quæ veneni naturam sapiant, & ad sitim extinguendam. SE. Est ne hic parandi modus apud antiquos? BRA. Antiqui de zuccharo nihil vnquã prodidere, & hũc syrupum nunquam fecere, tamen in omnibus ferè ægritudinibus præcitatis acido citri succo vtebantur. En Galenus lib. VII. de simpliciũ medicamentorũ facultatibus, inquit esse tertii ordinis reficcantium, infrigidantiumq;, & de acida citri parte loquitur, quam partẽ in II. de alimentorum facultatibus lib. etiã frigidam facit, sed gradum non determinat. Et Paulus Aegineta lib. VII. & Aetius lib. I. acidam citri partem in tertio ordine frigidam & siccam esse arbitrati sunt: sed Paulus primo lib. cap. LXXXI. dicit abũdè infrigidare, gradum verò non determinat. Plinius secundus quarto de re medica libro (si is Plinii liber

ber sit, qui de re medica circunfertur) huic frigidam naturam inesse fatetur: imò & experientia ipsa hoc comprobat. Quis igitur negare poterit vehementibus inflammationibus & æstibus succurrere? Imò Aetius cap. XXIX. lib. XII. ad inflammationes vtitur hoc succo pani aut pollini admisto, & modo cataplasmatis apposito. Nam antiqui, citri succum per os non sumebant, sed cortice tātùm, & carne vescebantur, vt apud Galenum, Paulum, & Aetium videre licet, qui inquiūt corticem, ventriculum roborare, quanuis difficilioris cōcoctionis sit, & carnē pituitosam materiā gignere. Nec immeritò hic syrupus contra pestilentem morbum valere à Mesue dicitur, quoniam & antiqui citrum veneno aduersari fatebātur, quod potius semini attribuunt, quàm pomo. Quāuis Dioscorides anceps sit, quum dicit, δύναμιν δὲ ἔχει ποθὲν ἐν οἴνῳ, αὐτενδρυεῖν θανασίμοις. id est, vim autē habet quod in vino potum venenis aduersatur. Hoc autem ita ad pomum, sicut ad semē referri potest, quāuis de semine propinquius sermonē habuisset. Tamē præter rem nō est, si & de semine, & de pomo id intelligamus: quia Plin. lib. XXIII. cap. VII. inquit: Citria cōtra venenū in vino bibūtur, vel ipsa vel semen. Nec obstat quòd Theophrastus VI. lib. istud pomo attribuat, & Paulus, & Aetius,

quon

quoniam & ſemini hoc dotis ineſt, quod Auicéna cortici, & ſemini attribuit. Serapio etiã Dioſcoridem referens, ita refert ac ſi pomo hanc dotem elargiatur. Quicquid ſit, totum pomum veneno reſiſtit. Vnum autem eſt, in quo recentiorum quorundam error deprehenditur, qui hunc ſyrupum valere inquiunt contra prægnantium faſtidia, quando edere non poſſunt, & extranea appetunt, vt carbones, terram, pilos, & ſimilia: quam affectioné Græci κίσσαν & κίτταν, id eſt, picam vocãt. Plinius lib. XXIII. capite VI. malatiam prægnantium interpretatur. Ineſt autem hoc genus faſtidii prægnantibus vſque ad tertium mẽſem, vt Paulus Aegineta capite primo primi libri docet. Cauſa autẽ eſt, quia fœtus paruus & imbecillis ea, quæ ad locos mittuntur, conſumere non poteſt. Nos autem mulieres vidimus, quæ vſque ad quartum, quintum & ſextum menſem hac affectione vexabantur, ſed commune eſt tempus, cùm fœtus moueri incipit. Dicitur autem ciſſa, id eſt, pica: quoniam hoc animal, quia vorax, in cibi faſtidiũ ſepe venit. Sed ne præſentem occaſionem omittamus, illuſtriſsima RENATA Galla Ferrariæ Duciſſa, nunc ciſſa vexatur, tamen in quarto menſe à conceptu eſt. Nec opus eſt putes ciſſam ſolùm eſſe cùm extranea appetũt; ſed ciſſa etiam appellatur, cùm adeò perturbatus

Κίσσα. Κίττα. Malatia prægnãtiũ.

batus est ventriculus, vt conuenientia edere non possint, quāuis extranea non appetant. Propterea Plinius præcitato loco prægnantium malatiā meritò appellauit. Constat autem prægnantiū ventriculo (nisi æstuans fuerit) potius obesse, quàm prodesse. Illorū autem error ex hoc prouenit, quia authores nō considerarunt, qui non dicunt citri succum ad hunc morbum valere, sed semen. Quāuis in Dioscoride indifferens videatur, tamē Plinius capite VII. libri XXIII. de semine id dicit, & Paulus Aegineta libro I. Ad rem autem nostram redeuntes, hic est optimus syrupus in æstuantibus morbis, quo frequēter iubeo ægros pro intinctu vti: vt nuper magnificæ Dianæ Estensi contrariæ in æstuantis vētriculi morbo: fit autem ex succo citri, tamē citri nomine limones, Adam poma, & arantia veniunt. Ego potius ex limonibus pararem, quoniam succū frigidiorem habent: hic autē potissimùm frigiditas expetitur, & limones saporē habent citro maximè conuenientem. Nam, vt Plinius dicit capite XXVIII. lib. XV. citris odor acerrimus, sapor asperrimus. Inter hæc autē limones omniū asperrimum habent, ideò potissimū citra sunt limones. Tamen si ex citro etiā habere placeat, vbi tanta frigiditas non expetitur, parato. Illos autem pharmacopolas damno, qui Venetiis succum

citri emũt: sed potius voluerim vt citra emerent, & seorsum succum & corticem in syrupum redigerent, carnem verò condirent. Succus enim, quẽ Venetiis afferũt, plerũq; aqua mistus est. Zuccharum, præsentem syrupum ingrediens, clarificatum (vt dicitur) esse debet: propterea à Mesue Iuleb nuncupatur. Multi sunt, qui nimis coquũt, tunc facilè candescit, & concrescit, & in durioris mellis formã transit. Quod est oppositum acetosi succi, qui suapte natura nec durescit, nec concrescit, sed potius quæ gelascunt liquidiora reddit: ex nimia autem coctura, & succi extrema resolutione cõcrescit. Propterea tu (ne erres) sume citri succum, & paulatim per linteum præcolato sine aliqua expressione, vt quod subtile est, paulatim transeat: qui enim vehementer linteum exprimunt, succum nimis spissum colligunt. Vnde id solum sumere oportet, quod ex se descendit. Duobus autem modis syrupus fieri potest, sole, & igne. Si sole fiat, id est, per moram in sole, magis clarus continuò permanet: Si igne, nisi bene animaduertatur, nimis crassescit: qui enim nimis coquunt, in duritiem enogari, id est, vocatæ gelatinæ ducunt. SEN. Igitur ex limonibus etiã parabo? BRA. Imò parabis, quia vehementius infrigidat, & penetrat. Postquam hic puer mappã sustulit, & dentiscalpia præbuit,

buit, syrupos alios prosequaris.

SENEX.

SYrupus de stœchade tertio loco habetur. *Syrupus de stœchade.*

BRA. Igitur his syrupis disponendis nullum ordinem seruas? SEN. Nullum, vt iam præfatus sum. BRA. Gaudeo tamen hoc ordine disponi, quoniam eos primò enumerare visus es, quibus illustrissimus patronus meus Hercules Ferrariæ Dux vtitur. Est cõpositio apud Mesuen reperta in hunc ferè modum ab eodem authore, & sequentibus verbis descripta.

| | | |
|---|---|---|
| Recipe, florum stichados | | ʒ xxx. |
| Hasce, id est, Thymi<br>Calamenthi | } añ. | ʒ. x. |
| Origani<br>Anisi<br>Pyrethri | } añ. | ʒ. vij. |
| Piperis longi | | ʒ. iij. |
| Zingiberis | | ʒ. ij. |
| Passularum enucleatarum | | vncias iiij. |
| Mellis | | libras v. |

Hunc syrupum (cùm hæc solùm recipit) appellant de stichados sine speciebus, vel de stichados incompletum. Tu autem potius de stœchade dicito. Si autẽ pulueres consequentes recipiat, syrupus de stichados cũ speciebus, vel completus nuncupatur. Pulueres autem sunt hi, qui sequuntur:

Recipe Cinamomi
Calami aromatici
Spicæ, id est, Nardi,
Croci
Zingiberis
Piperis nigri
Longi
} añ. 3. j. ß.

Ligentur in panno raro, & suspẽdantur in syrupo. Dosis eius est, vncia vna cum decoctione spicæ, & alchilil. Hic syrupus expertus est ad omnes ægritudines neruorũ frigidas, vt est paralysis, epilepsia, spasmus, tremor & tortura. Valet etiã ad catarrhum frigidũ, à capite ad pectus, & ventriculum ipsum roborat. Hæc Mesue. SB. Reperitúrne apud antiquos hic syrupus? BRA. In primis eius vires audias: Obstructiões aperit, crassa attenuat, extergit, totumq; animalis habitũ roborat, extaq; cõfirmat. Quod semper à causa frigida malè affecta intelligendum est, & præsertim pectori anhelantibus, & destillationes habẽtibus, opitulatur. SBN. Est igitur valde vtilis hic syrupus? BRAS. Vtilissimus. Cùm verò multo calore nõ indigemus, incompletum sumimus, id est, eum, quem vos sine speciebus appellatis (quanuis nõ defuerint, qui dixerint, eum, qui incompletus est, solùm recipere stœchada & passulas. In intensiori verò frigiditate, eum sumendum iubemus, qui

spec

ſpecies, id eſt, pulueres aromatum enumeratas recipit. De hoc ſyrupo nihil apud antiquiores reperitur, tamen dicunt ad omnia prænumerata ſtœchada valere. Sed vnum eſt in quo ambigere poſſemus, quomodo ſcilicet cõponi oporteat: quoniam à Meſue ſimplicia ſolùm enumerantur, ſed modum componẽdi, & an coqui debeat, prætermittit. SE. Subintelligitur decoctionem fieri ſecundum artem. BRAS. Quæ eſt, & qualis hæc ars ad coctiones parandas? SEN. Nos inſtinctu quodam, ſine põdere, ſine determinatione aquã ſumimus, vt oculis præſentatur, & ingenio noſtro videtur: poſtea ad libitum bullire ſinimus: deinde ſimplicibus expreſsis, quæ prius decocta ſunt, mel in hanc decoctionem ponimus, quod tamen prius expumatũ ſit: itaque ad ſyrupi formam altera ebullitione reducimus. BRA. Miror admodum in his condiendis vos ſtatuta aliqua pondera non habere. SEN. Omnino non habemus. BRAS. Viam igitur inueniamus, & certã normam, per ſtatutas menſuras componendi ſyrupos. SEN. Id libenter addiſcam. BRAS. Et ego lubentius edocebo, ſi aures præſtabis. SEN. Et aures & caput, & vniuerſum corpus habebis. BRASA. Noli autem vniuerſalem regulam in omnibus ſyrupis expectare: quia in aliquibus ſolùm conueniet, in quibus cùm

erimus, te admonebimus: In aliis verò ſuas particulares regulas edocebimus. Quum ſyrupum de ſtœchade parare opus eſt, omnia, quæ ipſum ingrediuntur, para, & craſsiuſculè contunde, & in vitreatum catinum omnia pone, deinde octo aquæ libras ſuperinfunde, ſi omnia ſyrupi ſimplicia ſicca fuerint. Si ita egeris, optimè infundi experieris: pòſt XXIIII. horas exprime, & inuenies duas aquę libras à ſimplicibus imbibitas eſſe: Tunc & aqua, & ſimplicia ſimul igni ſuſpendas, vt bulliant igne claro ad conſumptionem tertiæ partis, vel ſupra ignitos carbones fiat. Relinquentur quatuor libræ decoctionis, plus minus, in quas libras quinq; puri mellis imponito, & iterum bulliant expumando, quoad fuerit conſumpta decoctio, & ad formam ſyrupi redactum ſit: in quam formam tunc redactum eſſe deprehendes, cùm gutta ſummo pollice capta inhæret, non tamen coit, & ſi indice guttam, quæ in pollice eſt, tetigeris, prætenuia fila mittat, & non ſtatim abrumpatur. Nec guttæ reſiliunt, in hoc præſertim ſyrupo, qui mel recipit: nam mel optimum, vt Plinius libro XI. capite XV. docet, reglutinoſum eſt. Si autem herbæ recentes ſint, ſeptem libræ aquæ in infuſione ſatis ſunt, quia vna tantùm imbibitur. Sunt verò Recentes, qui generalem quandam regulam

trib

tribuũt, quoties ab authoribus ſcriptum reperiunt, quòd aliquid in ſufficienti quantitate aquæ bulliat, ipſi hãc ſufficientem quantitatem, ita exponunt: Si res ſint, quæ multam ebullitionem ſuſtineant, in omni manipulo ponantur (vt eorum verbis vtar) boccalia quatuor aquæ: Si verò mediocrem ebullitionem ſuſtineant, dimidium aquæ accipiant: Si verò paruã ebullitionem ſuſtineant, vnum boccale ſumere oportet: volentesque hanc regulam ad pondus reducere, res, quæ plurimam decoctionem ſuſtinent, hoc modo recipiunt aquam, vt vna libra ipſarum in ſex aquæ bulliat: quæ verò mediocrem, in tres: quæ paruam, in vnam & ſemis. Sed hæc non eſt congrua, conueniensq; regula, quoniam in hoc ſyrupo ſunt res, quę multam decoctionem ſuſtinent, vt zingiber, pyrethron: & quæ mediocrem, & quæ paruam, vt cætera alia. Nunc autẽ ponamus omnia hæc mediocrem ebullitionem pati, tunc oportebit, hanc ſimplicium quantitatem in tres ferè aquæ libras ebullire. Quod apparet, ſi quis computet, vnicuiq; libræ ſimpliciũ tres aquæ libras dãdo. Sunt enim ſimplicia, quæ hũc ſyrupũ ingrediũtur, ferè quatuordecim vnciæ, ſpeciebus dẽptis: ſed nimis abſurdum eſſet in tam paruam aquæ quãtitatem ebullire, nẽpe ad ſextam partẽ conſumere ſatis eſt: ideò ni-

hil ferè relinqueretur, in quod quinque mellis libræ iniici deberent, & ad syrupi spissitudinem ebullirent: quia partim per ebullitionem, partim per breuem coctura consumptum esset, & ferè mel exhauriretur. SEN. Certè hanc esse nimis paucam aquæ quantitatem semper iudicaui. BRA. Omnino pauca est. Ideò tu pro tota huius syrupi quātitate si herbæ aridæ sint, octo aquæ libras sume: Si autem virides, septem, & adeò bullire sinas, vt expressione facta quatuor libræ decoctionis relinquantur: nam duabus libris imbibitis in herbas, sex relictæ erant. Si deinde has sex ad consumptionem tertiæ partis resolueris, quatuor libræ solùm relinquentur. Ego hūc syrupum ex zuccharo pro illustrissimo Hercule Duce Ferrariæ parari facio, vt iucundior sit. SEN. Qua hora species illæ in syrupum coniici debent? BRASA. Recentes pharmacopolæ cùm syrupus ferè coctus est, imponunt. Nos autem secundum hunc ordinem incedendum esse iubemus: Si multo calore indigeamus, etiam diu hi pulueres in syrupo bulliunt: si non, tantò minus. Imò iubendum est vt prædicti pulueres suspensi in syrupo maneant: quod & ipse Mesue innuere videtur. quāuis multi hoc solùm intelligant cùm decoctio fit. SEN. Hoc mihi summè quadrat: quia si multa caliditate in-

dig

digemus, magis ebullire oportet: si autẽ pau ciori caliditate opus sit, tantùm his pluribus condiatur. Quod opus nos pharmacopolæ dicere solemus aromatizare. B R A. Sed hi pul ueres magis agunt, quàm aromatizare: nam aromatizare est odorẽ aromatum, rei, quam condimus, præstare. Hi autem pulueres sunt potius syrupo calcaria. Cùm verò ad formã syrupi decoctus erit, si ponderabis, inuenies quinq; libras esse, & semis, plus minus. Vnũ tamen aduertas, quòd maiori coctura indiget æstate, quàm hyeme. Quippe hyeme sex libræ, aut paulò amplius esse debet: æstate so lùm quinque & semis sint, vel circa. Aliter in vase, in quo seruatur, sponte ebulliret, & spumam faceret, atq; mucorẽ. S B. Loquuntúrne de hac re antiquiores? B R A S. Imò, nam Paulus Aegineta cap. X V. V I I. libri in his, quæ ex vino fiunt, dicit: Mellis despumati sextarium vnum ad vini sextarios quatuor accipiunt, & componuntur incocta: In his verò, quæ ex succo & aqua fiunt (hæc autem ad nostrorũ syruporum naturam ferè accedunt) si quidem coquãtur, vnam mellis partem ad treis accipito, liquore in coctione ad duas fermè partes consumpto. Re tamen vera nostri syrupi æstiuo tempore seruari non possent, si succi aut decoctiones ad duas partes solùm consumerentur: propterea hi rectè agunt

qui ad mellis ferè, aut zucchari pondus, vel circà arctant. Inuẽtus autem est syruporum seruandorum vsus, tum vt compositiones præsto sint, quando eis indigemus, tum quia radices & herbæ omni tempore non sunt, tum quia compositiones ex mora quodam modo fermentantur. Denique in vitro circunlitum vas serua. In hoc syrupo nulla simplicia examinare oportet, quia omnia in examine simplicium medicamentorum exposita sunt. Id solùm animaduertere iubeo, vt pro calamentho, calamintha montana sumatur, & montanum origanum, vel quod ex Creta ad nos nuper per illustrissimi Ducis nostri naues comportatum est. Quod autem dicit, passulas enucleatas, tu Corinthiacam vuam à pediculis mundam intellige. Quære etiam verum calamum aromaticum, & veram spicam, id est, nardum. Inquit eius dosim esse vnciam vnã. Nos duas etiam exhibemus magno ægrorũ commodo. Quod autem addit sumi cum aqua decoctionis spicæ, & alchilil, spica nostra, quæ pseudospica est, & nõ vera, grauissimũ odorem, & ægros lædentem in decoctione facit: ideò dimittẽda, quousque veram nardum nacti erimus. Alchilil verò est libanotis, quã nos rosmarinũ vocamus, cuius flores potius sumẽdi sũt, quàm herba, vel cacumina illa, quibus flores

insi

insident: nos cum aliis aquis igne eliquatis exhibemus, præsertim cũ illustrissimus princeps sumit, ne displiceat. SEN. Si absque infusione ebullire voluerim, debeóne omnia simplicia vna vice simul in aquã conijcere? BRA. Nõ, sed prius ea ponantur, quæ multam decoctionem patiuntur, deinde quę mediocrẽ, tertiò quæ modicam: vel hũc ordinẽ serues: Primò pyrethrum in decoctionem ponere oportet, deinde passulas, mox anisi semẽ, inde calamenthũ & origanũ, postea stœchada, quam sequatur hasce, & pulueres, quas species nuncupatis, piper longum scilicet & nigrũ, & zingiber. SEN. Nunc in mentem venit syrupus alter de stœchade à Mesue in capite de ægritudinibus neruorũ descriptus. BRA. Est in principio capitis, vbi Iudæum quendam adduxit, tamen in illo sine speciebus, & illo Iudæi paruam differentiam video: nam præcipua simplicia in hoc sunt. Illius autem syrupi permistio (ne fortè quæras) hæc est:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe florum stichados | | vncias | iiij. |
| Halcæ<br>Ziniã, id est ibiga | } añ. | vnc. | j. |
| Piperis<br>Pirethri | } añ. | 3. | iiij. |
| Passularum sine interioribus | | vnc. | j. |

Coquuntur in libras quatuor aquæ vsque ad duas, & sapæ libram semis, fiat syrupus.

Dosis

Dosis eius est ab vncia j. vsque ad duas cum aqua alchilil. Vides hæc sola calamēthū, origanum, anisum, & zingiber deesse: vna tamē met intentio est, & ad vnum met finem tendunt: fortè ille Iudæus imperfectè scriptū reliquit. Ex hoc etiam syrupo quantitas aquæ sumēdæ pro decoctione imperfectè habetur. SEN. De hoc syrupo satis dictum est. BRAS. Alios igitur prosequaris. SENEX.

*Syrupus rosatus simplex.*

SYrupus rosatus simplex quartus in ordine est. BRA. Gaudeo plurimùm, te in hoc tuo ordine, syrupos primo loco posuisse, quibus illustrissimus Princeps & patronus meus Hercules Ferrariæ Dux vtitur. SE. Ego hoc ordine digessi, quia in pēnæ apicem venere. BRA. Quicquid sit, ego apud vos pharmacopolas, nomine syrupi rosati simplicis tres syrupos inuenio. Vnum, ex infusione rosarum recentium. Alium, ex infusione rosarum siccarum. Tertium, ex succo rosarum. SE. Ita est. Sed & quartum habemus, qui rosatus solutiuus appellatur. BR. Hoc noui, sed tres solùm esse intelligo, qui sub nomē rosati simplicis veniunt. Ille autem solutiuus appellatur, non quia simplex non sit, sed quia soluit, quod alii nō faciunt. Ad id autē, quod erat nobis propositū redeuntes, dicimus, inter pharmacopolas maximam confusionem esse, imò & inter medicos maximā ignorantiam,

tiam, & animæ ſuæ maximum diſpendium, qui pharmacopolarum compoſitiones igno rant, nec diſcere curant, ſed tanquam cæci ſi- nunt ſe duci ab ignaris quandoq; pharmaco polis: nam cùm pro ægris ſuis ſyrupum roſa tum ſimplicem indicũt, eundem ſyrupũ ſem- per non exhibent, quia varii pharmacopolę varios parant. Sunt enim, qui pro ſimplici ro ſato, eum, qui de roſis ſiccis fit, parãt, & exhi- bent magno errore, quia fortè reſtringere non eſt opus, hic autem reſtringit. Alii phar- macopulæ eum pro ſimplici faciunt, qui de ſucco roſarum eſt, alio etiã errore: nã hic ſol- uit, cùm fortè tunc ſolutione non indigea- mus. Alii pro ſimplici illum parãt, qui ex in- fuſione roſarum fit. SEN. Quínam pro ſyru- po roſato ſimplici ſumendus eſt? BRA. Is, qui ex infuſione roſarum fit, de quo Micolaus in Antidotario ſub nomine ſyrupi roſati, qui ſiccitati & calori febriũ ſuccurrit, ſitim re- primit, recreat, & conſtipat: fit autem in hũc modum.

*Syrupus ro ſatus ſim- plex de ſuc- co roſarum.*

REcipe roſas recentes, & pone in vas, & ſuper aſperge aqua feruente, & coope ri vas, ne fumus inde exeat, & cùm aqua re frixerit, exprime roſas & eiice, deinde eãdem aquam feruentem ſuper alias feruentes roſas iterum proiice, & ſuprà dicto modo facies, tã diu mutãdo roſas, quoad aqua fiat rubea,

de

deinde in lib.quatuor zucchari pone, & cùm bullire incœperit, albumẽ oui in aquã frigidã iniice, & aquã simul, atq; albumẽ adeò cõcuties quoad spumescat, & eam spumã in syrupum bullientẽ impone, & cùm spuma nigrescere cœperit, suauiter cum spatula remoueas, & iterũ aliã spumã infunde, & suprà dicto modo fac, quousq; syrupus clarior fiat: & cùm cœpit quasi filum facere, vel supra marmor positum, vel supra vnguem nõ diffundi tur, coctus est. Hæc Nicolaus. SEN. Hic est syrupus rosatus simplex, quem semper paraui, & exhibui, quum medici syrupum rosatum simplicẽ ordinant. BRAS. Et hic est, quo vti debent qui præscribunt, & in febribus sitim sedare cupiunt, ventriculũ roborare, & calorem extinguere: nam ille, qui ex succo rosarũ fit, comprimendo soluit: qui autem ex rosis siccis, nimis adstringit. In vno autem de Nicolao miror, qui huius syrupi descriptionẽ posuerit, tamen quãtitatis rosarum, & aquæ normam omiserit: propterea ego potius Mesuen sequerer, qui & rosarum, & aquæ ponderа docet, & quot vicibus infusio fieri debeat, assignat. Hæc enim imperfecta regula est, quod toties infundatur, quoties aqua rubra fiat: quia aliquibus citius rubra videbitur, aliis tardius. Et infusionum multiplicatio (vt apparebit) hunc syrupum solutiuum facit.

Ideo

Ideo Mesuen imitandū suadeo, qui ter tantùm infundit, imò cum his tribus infusionibus aqua adeò rubra fit vt vinum videatur, & odorem seruat. Ideo ne fecerisḥunc syrupum sine ordine, vt triuiales pharmacopolæ faciunt, sed Mesuen imiteris ita dicentem:

*Syrupus rosatus simplex de infusione rosarū recentium.*

REcipe foliorum rosarum recentium libras sex, ponantur in vas vitreatum terreum stricti orificii, & fundātur super eas aquæ calidæ libræ quindecim, & stringatur orificiū vasis, & dimittatur per horas octo, tunc denuò colentur, & in vas tantundem foliorum rosarum recētium mittatur, & demum eadem aqua calefacta, super ea emittatur, & stringatur orificium similiter per octo horas, & deinde coletur. Et si conseruare voleris, ponatur in vas vitreatum stricti orificii, & destilletur oleum in orificio eius, & stringatur caput eius, & exponatur Soli per dies quadraginta. & hoc appellatur Mucharus rosarum. Hæc Mesue. Vt ex his colligere possis, Mesuen bis solùm infundere, quod satis est. Tamen si alicui ob perfectiores vires tertiam infusionem facere placebit, tertiam faciat. Tamen duæ satis sunt: aliter in solutiuum transiret. nam quinta infusio hunc syrupum soluentem facit. Potius igitur hunc modum infusionis Mesuæ eligito per conuenientis pondus factum, quàm illum

*Mucharus rosarum.*

illũ Nicolai, in quo nõ eſt põderis determinatio. ſemper enim illi mihi diſplicuere, q̃ ſine méſura & ordine agũt. Infuſionẽ habes, nũc opus eſt modũ cõponendi ſyrupũ edocere. Idẽ Meſue inquit loco prædicto: Si ſumãtur infuſionis roſarũ lib. quinque, zucchari lib. quatuor, deinde bulliant leniter ad ſpiſſitudinem ſyrupi, qualem Nicolaus in ſuo edocuerat, ipſe autem Nicolaus æqualem quantitatem zucchari, & infuſionis ſumit, & tunc minori ebullitione indiget, quia citius ad ſpiſsitudinem venit. SEN. Quare mucharus appellatur? BRA. Quia mucharus apud Arabes, idem eſt quod infuſio apud Latinos: Ideo dicitur mucharus roſarum, id eſt, infuſio roſarum. SEN. Reperitúrne apud antiquos hic ſyrupus? BRA. Quomodo reperiri poteſt, ſi zuccharum ignorabant? habebant autem ferè ſimilem ex melle factũ, vt apparet, ſi quis Paulum Aeginetam legerit lib. VII. capite XV. vbi Hydroroſati compoſitionem parat, inquiens, Hydroroſatum, è roſarum, detractis vnguibus, libris quatuor confici, aquæ ſextariis q̃nq;, mellis ſextariis duobus: an ebullire debeat, an nõ, prętermittit, ſupponẽs (vt arbitror) ab eo q̃ talia parare ſcit, intelligi. Si aliq̃d igitur ſit apud antiquiores, quod noſtro roſato ſimplici cõparari poſsit, eſt hoc hydroroſatũ, quod aquã recipit: nos autẽ ex

inf

infusione rosarum iam dicta, & mel rosatum etiam conficimus: imò vos pharmacopolæ infusionẽ illam per totũ annũ ad hunc vsum more Mesuæ seruatis. SEN. Ita est. BR. Suaderem igitur omnibus pharmacopolis, vt tres syrupos ex rosis seruarent: Eum, de quo nuper egimus ex infusione recentium rosarum, quem voluerim simpliciter, syrupum rosatum simplicem appellãdum: & eum, qui ex rosis siccis fit, & eodem modo vt prædictus componitur. In hoc tantùm differt, quòd rosæ siccæ sunt: ita enim magis constringit, & ventriculum roborat: quem syrupum de rosis siccis nuncupare debemus. Est autem recentiorum inuentum, quia infusiones rosarum potius soluunt, præsertim cùm transeunt secundam aut tertiam infusionem. Tertius syrupus est ex succo rosarum factus. sumitur enim succi rosarũ rubrarum quantum lubet, & tantundem sacchari, & simul clarificentur, vel vtrunque prius quàm misceatur, & ex albumine oui clarificatũ sit, vt suprà edocuimus: deinde ad spissitudinẽ syrupi bulliant. Sunt aliqui, qui minus sacchari ponunt, sed hoc nihil refert, quia deinde magis bullit. Hic autem syrupus, de succo rosarum appellandus est, qui si in quantitate sufficienti exhibeatur, soluit, vt si tres vnciæ sumantur. Itaque fit mel rosatum ex succo

roſarum,& ex infuſione roſarum, quam(vt ſuprà diximus) pharmacopolæ ſeruāt. SEN. Quū de ſyrupis roſaceis ſermo intercideriť, non ab re fortè erit,& de ſolutiuo tractare. BRA. Imò conueniētiſsimū erit:nam & ipſe ſimplex eſt, ſed ad aliorum differentiam ſolutiuus nuncupatur. Eſt idem cum ſyrupo roſato ſimplici:hoc dēpto, quòd plures infuſiones habet. Si quintam infuſionem habuerit, ſoluit, ſed in nona exquiſitiſsimē. A vobis ex communibus roſis paratur, cùm potius ex valde rubris fieri deberet. Sed & ex vocatis damaſcenis plerunq; ab aliquibus fit, & magis ſoluit quàm ex aliis. Tres vnciæ exquiſitè ſoluunt, quatuor autem exquiſitiſsimē. Si cum aqua endiuiæ, aut alterius herbæ ſecundum intenſionem ægritudinis miſceatur, adeò vt bibi poſsit, ſubtiles materias & aquoſas potiſsimùm trahit, & à venis, & ab omni parte corporis: quanuis nonnulli, ex viis ſolū ducere putarint. Experiētia autē rerū magiſtra ab omni mēbro ducere ſuadet: flatus autē per vētrē excitat, niſi aniſo, cinamomo fœniculóve corrigatur. Nouus eſt ſyrupus, id eſt, qui nō multo antè tēpore in vſum venerit, quum tamen ſine moleſtia æſtiuo tēpore educat. Ego etiam ex melle parari iubeo, vt hyeme ſumi poſsit. Nihil aliud additur illi, quem Meſue parat, niſi quòd infuſiones

multi

multiplicantur. Scito autem alium syrupum solutiuum rosaceum apud Auicennam inueniri, lib. III. canoni, fen. XXII. tract. II. cap. XX. Sed ipsum facit ex succo, nõ ex infusione. Recipit autẽ succi rosarum libras duas, mellis li. quatuor, scãmonii assati vnc. j. decoquãtur, quousq; inspissetur: & eius dosis est à duobus vsq; ad quinq;. Ego autẽ intelligo à duabus drachmis vsq; ad quinq;. SEN. Electuarium rosatum Mesuæ, idem ferè est, nonnullis additis. BRA. De electuariis nihil in præsenti curæ sit, sed tantũ syrupos tractemus. SEN. Mirũ est, antiquos suũ hydrorosatum nõ ebullisse. BRA. Imò ebulliebant. SEN. Tamẽ Paulum suprà adduxisti, qui de ebullitione nihil locutus est. BRA. Subintelligenda erat in Paulo, tãquam res præ necessaria. nam si Aetium legeris libro V. capite CXXXVIII. videbis ebullitionem edocere, & quòd ad consumptionem tertiæ partis fieri debeat, vt est etiam apud recentiores in decoctionibus mos. Inquit enim, rosarum recentium resectis vnguibus, & in vmbra integro die cum sua nocte flaccidarum, libram vnam, mellis sextarium vnum, pluuialis aquæ ad tertias decoctæ sextarios tres: vt nouem, inquam, sextaria ad tria tantùm feruescendo perueniant. In feruescentem adhuc protinus ab igne remotam, rosas langue-

*Syrupus rosatus solutiuus.*

factas cõiicito, atq; in vase exquisitissimè obturato seruabis: postridie aquæ excolatæ, expressis abiectisque rosis, mel admiscebis, totúmq; in fictile vitreatum excipies, & aliquot diebus insolabis: postremò in vinaria cella recondes: quod longè magis infrigidat, quàm mel rosatum. Ex quo vides ebullitionem fieri, non autem vt nos: quippe nos post mellis miscellam ebullitionẽ facimus, illi antè. Nos etiam experti sumus hydroroſatum antiquorum parare: sed citò corrũpitur, nisi in frigidissimo loco seruetur: ideo nos & commodius, & felicius nostros syrupos rosaceos aut ex melle aut saccharo paramus, qui per totũ annum seruantur: quod antiqui æquè leuiter facere nõ possunt, nisi frigidum locũ sibi elegerint. Ideo Aëtius dicit in vinaria cella seruari. Eodem autem modo, quo syrupus rosatus solutiuus fit, iubeo syrupum solutiuũ ex floribus persicorum fieri, qui bilioſas materias educit & subtiles, odoratus multùm, & qui sex infusionibus perfectus est, perfectissimus si septem fiant, & qui optimi gustus est, & in ardentibus febribus refrigerat. SEN.

*Syrupus solutiuus ex floribus persicorum.*

De syrupis ex rosis satis dictum esset, si mel rosatum explicuisses. BRASAVOLVS, Ea, quæ dicta sunt, satis esse potuerunt, nisi ad abundatiorem doctrinam addere voluerimus triplex, imò quadruplex mel rosatum fieri

*Mel rosatũ quadruplex.*

fieri debere: vnum, quod rosas integras recipit, potius inter eclegmata numerandum, sicut & zuccharum rosatum. Intelligeautem ex integris rosis, non quia conteri nõ debeãt & contundi: sed ex integris, id est, non ex succo, sed ex foliis, detractis vnguibus. Præparatur autem hoc modo apud omnes pharmacopolas: sed antiqua præparatio nõ est, pro quacũq; libra mellis vncias quatuor foliorũ rosarum accipiunt. Eodẽ etiã modo zuccharum rosatum conficiunt, vnciis quatuor rosarum, libram vnam zucchari exhibẽtes, & in feruentem solem ponunt. Sed de his aliàs. Ad mel rosatum colatũ veniamus, in quo omnes pharmacopolæ maxime errãt. SEN. Quomodo in hac re tam facili, tamq; vulgata errare possumus? BRAS. Erroré manifeste ostendã. SEN. Nunquã crediderim, nisi his oculis viderim. BRA. Si quietè audies, quod dixi verũ esse percipies. SEN. Cito expedias. BR. Nónne pharmacopolæ errabunt, si nec antiquos, nec recentes authores sequentur, in re tamẽ, quam antiqui, & recentes parare docẽt? imò & ipsi pharmacopolæ, recentes se imitari fatentur. SEN. Si hoc ostendes, deinceps silebo, & verum sequar: sed per recentes, quos intelligis? BRA. Nicolaum vestrum, qui Antidotarium scripsit, sed ignarus quid significet nomen Antidotus, si ipsum legeris, diffe-

rentiam inter noſtrum mel roſatum, & illud Nicolai manifeſtè percipies. Dic (ni refugis) quomodo vos mel roſatũ paratis. SEN. Duo mellis roſati genera habemus: Alterum colatum, alterum non colatum. Non colatum fit vnicuique libræ mellis vncias quatuor foliorum, vnguibus remotis, exhibendo. BRASAVO. De hoc in eclegmatibus loquemur: de colato nũc ſermo fiat. SEN. Colatũ ex infuſione roſarũ ſecundũ Nicolaũ aut Meſuen facta paramus tantundem mellis, quantum infuſionis ſumentes: & ad formam ſyrupi ebullire facientes, quæ eſt quoties ſumpta gutta ſupra vnguẽ non diffluit, aut ſi digitis cõpreſſa, cùm aperiuntur, in ſeſe reſiliat. BRA. Quis edocuit vos mel roſatum ita parare? SENEX. Ego à præceptoribus laudatiſsimis pharmacopolis didici, tamẽ in nullo libro legi: puto alios ita feciſſe, propterea in vſum ceſſerit. BRA. Nõ poſſum negare hoc mel roſatũ ex infuſione aliquid conferre, & vim roſarum ſeruare: tamen cùm antiquiores & recentes de aliqua re optimè ſentientes habeamus, eos potius imitari debemus, quàm vſum aliquẽ ſine ratione factum. SEN. Ita eſt. BRA. Lege in primis veſtrum Nicolaũ, quomodo mel roſatum paret, ventriculum roborans & abſtergens, & frigidas materias concoquens. En Nicolai liber, eius compoſitio

*Mel roſatũ colatum & non colatũ.*

nem

nem lege. SEN EX. In decem libras albissimi & purissimi mellis despumati, succi recẽtium rosarum libram vnam, ponantur in cacabo ad ignẽ, & cùm bullire incœperit, viridiũ rosarum cum forficibus vel cultello incisarum libras quatuor addas, & tã diu bulliant, quòd ad succi consumptionem veniat, & cùm bullierit, semper agitetur, & in fictili vase posito, quandiu magis tenebitur, tantò melius erit. Hæc Nicolaus. BR. Cur albissimũ mel accipi iubet?. SE. Quoniã albũ mel aliis perfectius est. BR. Nescio vnde hoc inuenerit Nicolaus, & tu affirmare possis, quòd mel albũ alia excedat. SE. Ita semper audiui. BR. Si Dioscoridem legisses, didicisses, mel optimũ subrutilũ esse, nõ albũ, &, vt Plinius inquit cap. XV. vndecimi lib. Aurei coloris, quod sit è thymo. Ideo mel album sumi nõ debet, quãdo optimum mel quærimus, sed subrutilum, vel aureum colore. Quod autem addit, despumandum esse, multùm conuenit, vt flatuosæ partes demantur, & sine noxa mel rosatum fiat. SEN. Mesue habuitne sermonẽ de ipso? BRA. In melle rosato ipsum quodam modo adumbrauit, vbi dicit, aliquos ex succo, foliis, & melle fecisse: tamen eadem mensura non est, nec idem pondus, quoniam vult foliorum rosarum partem vnam & semis, succi partem vnam & semis, mellis partes tres sumi. Quic-

quid autem sit, Nicolaum potius, quàm Mesuen, aut alium recentem in hoc sequi debemus. SEN. Quo ordine mel rosatum antiquiores fecere? BRAS. Dioscorides de rho-
*Rhodomel.* domelle tractat lib. v. sed quomodo fiat non docet. Id tantùm dicit, quosdam ex succo rosarum, & melle conficere, quod rhodomeli appellant, arteriæ asperitatibus vtile. Sed Aetius lib. v. cap. CXXXVII. mellis rosati confectionem in hunc modum fieri docet: Succi rosarum exectis vnguibus, partes tres, mellis partē vnam, calido Soli pluribus diebus exponitur. Si verò aër sit nubilus, & nō appareat sol, mel rosatum cribro setaceo rariori excolabis, mitioribus carbonibus decoques. SEN. Refertne eius vires Aetius? BRAS. Imò refert. Inquit enim: Leniter adstringit, refrigerandique potestate pollet, ac nonnihil, mellis ratione abstergit. Habet & quid subamari, & molliter acris: ideò ori confert, quòd calida inflāmatione ob feruentis destillationis defluxū laboret, & vētriculo, ad quem humores acres, & bilioſi defluant, post vomitū medetur, ad stomachum etiam absque materia æstuantem, & ad febricitantes in totius morbi, atque in particularis quoque accessionis vigore constitutos vtiliter exhibetur. Sæpenumero enim in febribus vna tātùm largior potio congruo tēpore exhibita, ad integram morbi

morbi ſolutionem ſuffecit procurato ſudore, ac citata aluo: nam præ cæteris cunctis potionibus, mel roſaceũ potentiſsimum eſt ad acutos humores per aluũ ducẽdos. Hactenus Aetius. SEN. Pretioſiſsima res eſt mel roſatũ, ſed codẽ modo nõ fit ab Aetio, & Nicolao. BRA. Nõ equidẽ. Nam apud Nicolaũ copia mellis maior eſt, quàm apud Aetium: nec Aetius folia ponit, quæ Nicolaus addebat. SEN. Tu autem quod mel roſatũ magis laudas? BRA. Quod ab Aetio deſcribitur, quoniam ſucci roſarum magis ſumit, quàm mellis. In ſucco autem vires ſunt. Adde, mel roſatum Nicolai ad potum ineptum eſſe, niſi alicui aquæ miſceatur. Quod autem ab Aetio fit, per ſe potabile eſt: & quod eſt apud Nicolaum, calfacit, nec illud in acutis febribus exhiberem. Quod autem apud Aetium eſt, ad temperiẽ vergit, & potius in frigiditatem tranſit. Ideò in acutis febribus Aetius ſuũ potui dat. SEN. Seruántne perpetuò Græci modum conficiendi Aetii? BRAS. Seruant mul i. Tamen Hermolaus putat idem eſſe Aetii Rhodomel, quod Pauli Rhodoſtacti, quum tamen non ſit: licet Rhodoſtacti ſuccum roſarũ, & mel recipiat. Differentia autem eſt in pondere: nam Aetii rhodomel tres partes ſucci roſarum recipit, & vnam mellis. Sed Pauli rhodoſtacti duas partes ſucci roſarum ſumit, & vnã

*Rhodoſtacti.*

mellis. Quippe compositio rhodostacti Pauli, quæ habetur libro VII. cap. XV. ita habet: Succi rosarum, vnguibus detractis, sextarios duos, mellis sextarium vnum, decoquito vsq; despumando, donec pars quarta coctura eua nescat. Habet præterea cõpositionem quan-
*Rhœti.* dam Paulus, quam Rhœti appellat, præcitato loco, inquiẽs: Decoquito ad tertias succi rosarũ sextarios treis, mellis sextarios quinque. Quæ compositio cum præscriptis affinis est. SEN. Hæc plus recipit mellis, ideò melli rosato Nicolai magis propinqua videtur. Dic autem tu, quam compositionem magis sequereris? BRA. Voluerim pharmacopolas succum rosarum seruare, postea modò vnũ, modò aliud (vt expetit morbus) componere. In acutis febribus Aetii rhodomel parato. Cùm ventriculũ roborare volueris, & pituitam excerni, melle rosato Nicolai vtaris. Pauli rhodostacte vehementius est, quàm Aetii rhodomel, quoniam mellis maiorem copiam recipit. Adhuc vehementius ad incidendum rhœti eiusdem Pauli est. SEN. Nicolai mel rosatum tantùm rosarum tempore fieri potest. BRA. Ita est: sed Pauli, & Aetii compositiones omni tẽpore parantur: quia toto anno rosarum succum integrè seruatis. Ab vno autẽ abstinere non possum, aliquos esse, qui mel rosatum colatum faciũt ex melle ro-

sato

sato cum foliis exprimendo: propterea dicunt colatum appellari, non animaduertentes, vbi succus ingreditur, necessarium esse percolari. SEN. Vnum in syrupo rosato solutiuo considerandum omisimus. BRA. Quid est hoc? SEN. An æquales partes infusionis, & zucchari, an minorem, an maiorem sumere debeat. BRA. Si hæc obseruabis, quæ tibi aperiemus vera esse deprehendes. Pro omni libra sacchari, libram vnam & semis infusionis accipito, & ad mellis spissitudinem ebullire sinas: tunc mirè soluit, & quandam vtilem amaritudinem enanciscitur. Sunt autem qui æquè succhari libram, & infusionis miscent, & minus soluit. Ineptissimè autem soluit, si octo vnciæ infusionis & libra vna zucchari sumantur: quod faciunt plures pharmacopolæ Ferrariæ. SEN. Ita certè est. BRA. Hac re multùm perturbor, quoniam plerunque quatuor vncias syrupi rosati solutiui exhibeo: & nihil penitus soluunt: aliàs duæ, aut tres vnciæ mirè educunt. Breui autem futurum speramus, quòd omnes pharmacopolæ (in nostra præsertim vrbe) omnes compositiones eodem modo parabunt: & ab illustrissimo Principe nostro publico proclamate iubebitur: nam vt iustissimus est Princeps, ita, ne populi sui ex pharmacopolarum, & medicorũ ignauia pereant, procurabit. SEN. Aequissi

*Syrupus rosatus solutiuus.*

quiſsimi principis munus hoc erit. Sed arbitror, circa maiora occupatiſsimũ, harum rerum non recordari. BRA. Imò nihil eſt, quod eius profundiſsimã memoriã effugiat: nempe omnia, etiam minutula, tanquam præſentia ſint, intuetur, & conſectatur. Neminem adhuc reperi, qui illuſtriſsimũ Herculem memoria non quidem ſuperaret, ſed æquaret: & qui his duobus ſenſibus impenſius vigeret, auditu, & viſu, qui ſunt diſciplinæ ſenſus. Tempus autem eſt ad alios ſyrupos tranſire.

SENEX.

*Syrupus violatus cõpoſitus.*

SYrupus violatus accedit. BRAS. Et hoc etiam illuſtriſsimus Princeps noſter vtitur, cùm deſtillationes ſub cane ad pectora fluunt, dum apros ſub ardẽti ſole & feras voraces inſectatur. Tamen apud authores ſyrupi ex violis, aut violati diuerſi reperiuntur: nempe vnus eſt de ſucco violarũ: alius ex violarum infuſione factus: alius ex decoctione, quẽ Meſue ſcribit. Vos quo vtimini? SE. Nos Meſuen imitamur, qui in hunc modum ſyrupum de violis parari iubet, & his verbis:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe violarum | | vncias | ij. |
| Seminum cydoniorum | } | añ. | ʒ. viij. |
| Seminum maluæ | } | | |
| Iuiubarum | } | añ. | num. xx. |
| Sebeſte | } | | |

Coquantur in libras ſex aquæ cucurbitæ, ad

con

consumptionem tertiæ partis: deinde addas zucchari libr̃ā vnam & semis, & syrupum facias secundum artem. Hic est syrupus, quo in publicis officinis vtimur. BRA. Cùm igitur syrupum violatum præscribo, hunc exhibetis? SEN. Hunc. BRA. At ego quoties absolutè syrupum violatum præscribebam, eum sumendum intelligebam, qui ex violarum infusione fit. SEN. A quo ponitur is, quem intelligis? BRA. A Mesue ipso, & Nicolao: Mesue enim in principio tractatus de syrupis simul ac semel infusionis rosarum & violarũ operationem docet. Sumi enim debẽt foliorum recentium violarũ libræ sex, & in vitreatum vas terreum stricti orificii poni: deinde supra ipsa, aquæ calidæ libras quindecim impone, & orificium vasis bene obturato: itaque per octo horas dimittito, postea colato, & iterũ in vas alias sex libras violarum, id est, foliorũ ex floribus violarũ ponito, & eandẽ aquam calidam per octo horas superingerito, deinde percolato, & in vitreatũ vas stricti oris seruetur, deinde superponendo, & obturando, Soliq́ue per quadraginta dies exponatur: Tuncque Mucharus violarum nuncupatur. Hæc est apud Mesuen infusionis violarũ prę- paratio, qua vtitur ad parandum syrupũ violarum ex infusione violarum. Tamen nõ ita præparatur apud omnes, quia Nicolaus excedit

*Mucharus violarum.*

cedit numerum duarum infusionum. SEN. Debemusne eo uti, antequàm sit per quadraginta dies insolatus? BRA. Si eo indigemus, protinus fit sine aliqua mora in sole: sed cùm seruare voluerimus, ne corrũpatur, per quadraginta dies insolatur. SEN. Aliquos vidi, qui Iuleb violatum ex infusione ita parabãt. BRA. Et ita fieri nihil impedit. Tamen communis mos est, vt ex aqua vi ignis eliquata & zuccharo fiat. Non defuere tamen, qui cum violarum succo pararent, & qui cum infusione violarum aridarum, cùm recentes desunt. Sed minus efficax est. De eo, qui ex violarum succo fit, à Mesue tractatur, qui vult sumendas esse succi violarum libras tres, zucchari libras duas, & decoquatur. SEN. Nos semper ex aqua vi ignis eliquata Iuleb nostrum facimus. BRAS. Tamen de hac aqua per ignis vim eliquata, apud hos authores sermo non fit. Nam Mesue, cui hoc iuleb attribuitur, tantùm vel ex infusione, vel ex succo violarũ fieri iubet: ex aqua autẽ igne eliquata fieri nunquam meminit, quanuis & hoc iuleb suaue sit, & non aspernandũ. Vnde in his iuleb hũc ordinem ponimus, vt id ex aqua igne eliquata factum primum locum habeat, quia cæteris debilius, tamen suauius. Ifto autem an potentius sit, quod ex succo violarum paratur, an quod ex infusione, in dubio est. Id quod

*Iuleb violatũ ex aqua vi ignis eliquata.*

ex

ex ſucco eſt, violæ ſubſtantiam recipit: quod autem ex infuſione fit, ſuperficiales partes ſumit, quæ magis lenientes ſunt. Ideò ſecũdum locum habet quod ex infuſione fit. Tertium, quod ex ſucco. SEN. Nos id tãtùm paramus, quod ex aqua vi ignis eliquata fit, tamen & alia iuleb genera parare conueniret, ſed omitti poſſunt, quia ſyrupos eodẽ fere modo confectos habere oportebit: alterum de infuſione violarum: alterũ de ſucco violarum, quibus loco iuleb vti poterimus. SEN. Fiéntne eodem modo ſyrupi? BRA. Omnino ex ſolo ſucco & zuccharo, vel ſola infuſione & zuccharo fiunt: ſed apud noſtros pharmacopolas in his condiendis ſyrupis varius eſt mos. SEN. Nos non vtimur. BRA. Aliqui ſunt, qui fecere, ſed inter ſe non conueniunt: quippe in ſyrupo de ſucco violarum quidam ſex vncias ſucci, & libram zucchari accipiunt: alii octo vncias ſucci, & libram zucchari: alii æquales partes zucchari, & ſucci: alii quatuor vncias ſucci, & libram zucchari, eundem morem in ſyrupo iſto de ſucco violarum ſeruari volentes, qui in zuccharo roſato, & violato ex integris roſis, & violis ſeruatur. Sicut enim in illo pro qualibet zucchari libra, vnciæ quatuor roſarum ponuntur, ita hic pro qualibet zucchari libra quatuor vncias ſucci roſarum ponunt. SEN. Res adeò inconſtans eſt, vt quem

ſequi

sequi debeam ignorem. BRA. Ego autem te edocebo, vt errare non possis. SEN. Tibi plurimùm debebo. BRA. Nonne hoc factũ putabis, si in Mesue conficiendi modum ostendam? SEN. Certè, sed nusquam locũ animaduerti. BRA. Lege modum faciendi iuleb de succo violarum apud Mesuen, vbi accipit succi violarum libras tres, zucchari libras duas, & iubet cum facilitate coqui: hinc ratio sumitur condiendi syrupum de succo violarũ. SEN. Est modus parandi iuleb, non syrupũ. BRA. Quam differẽtiam facis inter iuleb & syrupum? nam & iuleb syrupus est. Græci recentes zulapon vocant, quod recentes iuleb, quasi succũ vel ex succo. Imò, & Iu apud barbaras quasdam nationes succũ signat: & cur non Iolebum, eo quòd in eum viola infundatur: ἰὸν viola est, λείβω infundo: vnde fieri potuit ἰολειβέν. Quanuis hãc vocem barbaris, quàm Græcis magis esse cõsuetam, & reuerendissimus Cælius Calcagninus indicet. SEN. Putabam iuleb à syrupo differre, quia suauior & limpidior esset. BRA. Hæc non est differentia, sed quia syrupus magis decoquitur, quàm iuleb, & in multis syrupis plura ponuntur, in iuleb simpliciter vnum. Propterea si syrupum de succo violarum parabis, eandẽ mensuram seruare debes, quam Mesue in iuleb seruat: sed tu postea decoctionẽ augeas.

*Iuleb viola tum ex suc co violarũ.*

*Iu.*

SEN.

SEN. Hoc non displicet. Verùm & in illo syrupo, qui ex infusione violarum fit, pharmacopolas distinctos video: vt aliqui plus, aliqui minus decoctionis pro zucchari portione sumant. BRA. Habent tamẽ apud Mesuen generalẽ regulã conficiendi: Statim in principio tractatus de syrupis, vbi operationis iuleb ex infusiõe modũ ponit, videlicet quinq; infusionis libras sumendas esse, & quatuor zucchari, & paulatim coquantur, itaq; iuleb fit: si verò parũ plus ebullire feceris, syrupus erit. Vnde tres syrupi violati inueniuntur, & in officinis seruari debẽt, ex succo violarũ, ex infusione violarũ, et violatus cõpositus. Cùm autẽ simpliciter syrupus violatus ordinatur, eum intelligere opus est, qui ex succo violarũ fit, & simplex est. Is verò, qui fit ex succo, cũ additione indici debet, syrupus ex succo violarũ. Tertius, qui his fortior est, & qui plura recipit, dẽbet cum hac additione indici, syrupus violatus compositus. Itaq; nullus error fiet. Imò etiam tot syrupos per gradus distinctos habere conuenit, quoniam ægritudines per gradus distinctæ sunt. Vnus enim syrupus vni ægritudini, & alter alteri magis conuenit. SEN. Deinceps omnes parabo. Sed in condiendo syrupo de succo violarum nonnulli æquas partes succi, & zucchari accipiunt, regulam huius rei à syrupo de fumo

terræ maiori ſumentes, in quo æquales partes ſucci, & fumi terræ ponit. BRASAV. At is ſyrupus non poteſt eſſe conueniens regula ad hunc, quia illum multa alia ingrediuntur præter ſuccũ fumi terræ, in hoc ſolus violarum ſuccus ponitur. Ideò non mirum ſi copia zucchari in eo de fumo terræ ſit maior. Ideò potius laudo, vt à Iuleb de ſucco violarum modo iam dicto normam ſumas. De his autem ſyrupis, & ſi à Meſue dicantur leniendo ſoluere, copiam notabilem exhibui ad vncias ſex perueniẽdo, tamen nihil penitus eduxere: in aliquibus parum. SEN. Igitur tres ſyrupos violaceos parabo? BRASA. Nec aliquem prætermittere debes, ſed quando compoſitum ſyrupũ facies, prima quæ decoctionem ingredientur, ſint iuiubæ & ſebeſten: deinde ſemina maluę & cydoniorum, deniq; violæ: quoniam minimam decoctionem patiuntur, vt violarum capite Meſue docuerat. Deniq; vt de hoc ſyrupo finiã, ſcito, aliàs mihi fuiſſe ſuſpectos ſyrupos & potiones, quæ iuiubas reciperent: quoniã ab antiquis damnãtur. Quippe Galenus ſecũdo de alimentorum facultatibus, ſerica dãnat. Sunt autem apud Græcos ſerica, quæ apud Latinos zizipha appellantur. Inquit autẽ Galenus, ſolùm appetiab inſolẽtibus, & effrænatis pueris, ac mulieribus, nam imbecilliſsima ſunt, & difficill

cillimè concoquuntur, cumq; hoc ſtomacho inutilia ſunt. Damnantur præterea ab Oribaſio, Paulo, Aëtio, quæ & ab aliquibus ſyrica nuncupantur: tamen dulcedinẽ quãdam habent emollientem, quæ pectoribus conuenit: propterea nõ dubito tuſsi ex materia calida factæ & his pectorum intemperiebus valere, vbi materiã craſsiuſculã reddere opus ſit. SEN. Reperiuntúrne apud antiquos zucchari ad ſuccos proportiones? BRA. Ex Paulo Aegineta elici poſſunt, cap. xv. ſeptimi lib. vbi cõpoſitionem, quam appellat Rhodoſtacti, docet: in qua ſumit ſucci roſarũ ſextarios duos, mellis ſextarium vnum, decoquito vſq; deſpumãdo, donec pars quarta cocturæ euaneſcat. SEN. Ex hoc loco zucchari proportionem ad ſuccum facilè elicio, quanuis ipſi mel zucchari loco ponerent, quia ipſis zuccharum ignotum erat. BRA. Propterea Meſue nõ abre maiorem portionem ſucci, minorẽ zucchari ponit, quanuis dimidiũ præciſe non ponat. SEN. Reperitúrne ſyrupus violatus compoſitus aliter deſcriptus? BRAS. Equidé reperitur, & Meſue in capite de pleureſi, in ſermone in aqua cicerum duas deſcriptiones aſsignat: Alteram Ioanitii, alteram Hamech, quæ ab hac differunt, licet nõ multúm. SEN. Adducas ni piget. BRAS. En Ioanitii ſyrupus in primis:

Recipe violarum recentium
Seminum cydoniorum } añ. 3. x.
Seminum citruli
Seminum maluæ 3. xij.
Gummi Arabici 3. viij.
Tragacanthi 3. iij.

Super hęc libras ſeptem aquæ calidæ fundas, & per diem ac noctem permittuntur: poſtea ad conſumptionem medietatis bulliãt: deinde cum duabus libris & ſemis penidiarũ fiat ſyrupus. SEN. Hic ſyrupus noſtrum multùm excedere videtur. BRA. Certè multùm excedit, nec dãdus eſſet, niſi maiori attenuatione indigeremus. Nunc illum Hamech audias:

Recipe violarum vnc. ij.
Seminum cydoniorum } añ. vnc. j.
Maluæ
Iuiubarum } añ. nu. xxx.
Sebeſten

In ſeptem aquæ cucurbitæ libras ad conſumptionem tertiæ partis decoque, & cum duabus zucchari libris fiat ſyrupus. SE. Hic à noſtro, quem paramus, non multùm differt. BRA. Imò eum eſſe arbitror, quo vtimur: & vbi differunt, librariorum error fuit: quippe Meſue ab Hamech ſumpſit. Addoque tibi alium ſyrupum de violis à Serapione edoceri, Tractatu VII. cap. XXIII. quẽ, ſi legere volueris, ſimplicẽ eſſe ex infuſione violarum

per

percipies. Sed de hoc iam satis. SEN. Nõdum satis erit, nisi in primis admonueris, an ex siccis violis fieri possit. BRA. Fieri quidẽ potest, sed inefficax est: propterea & succum, & infusionem serua, & magnam syrupi violati compositi copiam, cùm violæ floreſcunt, ad totius anni vsum para: ne ex siccis violis parare cogaris, quæ minus frigidę, & minus humidæ sunt, quàm recentes, nec leniunt: quod præcipuè in hoc syrupo exigitur. SENEX.

SYrupus iuiubinus in ordinẽ venit. BRA. In hoc etiam vos composito, & non simplici vtimini. Est autem iuiubinus simplex is, quem Mesue sulebiuiubinum appellat: & re vera conuenire hunc syrupum per se distinctum fieri: nam vbi non magna pectoris asperitas adest, & sputum tenue ac subtile sit, vt incrassatione indigeamus, sed nõ magna, tunc simplici syrupo iuiubino vti oportebit. Cùm autem intẽsa materiarum incrassatione indiguerimus, composito iuiubino vtemur: In simplici autem cẽtum iuiubæ in quatuor aquæ libris ad medietatem resolutionis aquæ coquuntur, & cum vna zucchari libra syrupus fit. SEN. Quam aquã sumere debemus? BRA. Aliàs de aquis disputatum fuit à recentibus, & conclusum, pluuialẽ aquam in syrupis pectoralibus sumendã esse, quoniam tenuior sit, & magis penetrans, quàm aliæ:

*Syrupus iuiubinus.*

*Aqua pluuialis in syrupis pectoralibus sumenda.*

quia ex vaporibus facta, hinc vt ad pectoris partes penetret, magis efficacé esse & aptam existimarunt. Nos autem non ita simpliciter hanc rem inferendam censemus: sed Galeni sententiæ inhærentes primo de simplicium medicamentorum facultatibus, capite quarto, dicimus: Quantò aqua est magis simplex, tantò frigidior est: propterea vbi refrigeratione indigemus & incrassatione, vt in hoc syrupo iuiubino, pluuialem aquam sumendam iudicarem: vbi autem infrigidatione, aut incrassatione non indigemus, aquã fontis sumerem. Verùm hæc non sunt hoc loco discutienda: sed satis sit apud antiquos talem differentiam aquarum nõ fieri, sed eam tantùm, quæ sit pura, quam Galenus libro suprà citato, capite v. ex tribus sensibus iudicat: gustu, visu, & odoratu, & sit expers qualitatis, & nihil in gustum imprimat, vt sit planè perlucida, ac syncera, vt in odore nullam habeat qualitatem, tunc iudica aquam esse puram, & illam esse quæ syrupos & medicamenta ingredi debeat. Quod autem à recentibus creditur pluuiales aquas magis penetrare, ab Aëtio non creditur, qui capite CLXXV. libri tertii, aquã pluuialem fontanæ comparans, inquit: Plus enim habet constipationis quàm fontana. Ideò neque abstergit facilè, neque coquit, neque madefacit, &

*Aqua fontis in quibus sumenda.*

excr

excretiones impedit: quod si alicubi moram traxerit, magis adhuc constipat, tardioris q; transitus fit, egestiones detinet, tardius concoquitur, distribuitur que, ac destillationes gignit. Hæc Aëtius de pluuiali aqua. & Plin. libro XXXI. capite III. eorum opinionē graviter redarguit, qui aquas pluuiales probāt, imò inquit, horum sententiam refellere interesse vitæ. SSN. Non videtur quòd pectorales decoctiones probè ingredi possit: tamen Paulus eam laudat capite L. primi libri, inquiens: Cœlestis præterea aqua, teste Hippocrate, nullo pondere grauis, dulciore abundanti, limpiditate neutiquam vulgari, tenuitate deniq; censetur, eo quòd à sole leuissimū trahatur, & tenuissimum. BRA. Id ex Hippocratis sententia dicit Paulus, qui tenuissimam aquā laudauit. Sed aqua duobus modis consideratur: Vno modo ratione qua elementū est. Altero, vt nostrū corpus ingreditur. Ratione qua elementum, & frigida, ac tenuis est, ab Hippocrate, & Paulo pluuialis sūmè laudatur. At hæc eadē pluuialis ab Aëtio, vt nostrū corpus ingreditur, damnatur. Propterea & Paulus præcitato loco inquit, omnium aquarum pluuialem maximè putrescere (quanuis Auicenna in syrupo de papauere primo oppositū dicat) quia ex qualitatibus, diuersis constat. Ex marina enim

aqua & aliis elevatur: tamẽ (inquit Paulus) & si facillimè putrescat, ob hoc nõ est existimãda deterrima. Nam alterationis procliuitas virtuti magis, quàm vitio adscribenda est. Quapropter quæ inculpatæ aquæ indiciis prędita facilè putrescit, saluberrima censenda est. Hoc intelligo ratiõe qua aqua. Et hæc verba Pauli, & Hippocratis de perfectione aquæ vt aqua loquentium, non autem vt à nostro corpore sumenda, in causa fuere, vt recentes putarint, in omnibus affectibus pectoris pluuialem sumẽdam. Sed hæc aliàs disputanda sunt: Nunc syrupũ de iuiubis Mesuę prosequamur. Hic autem est, vt passim in omnibus ferè scriptũ authoribus reperitur:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe iuiubarum | | lib. | x. |
| Violarum<br>Seminum maluæ | } añ. | vnc. | v. |
| Capillorum Veneris | | vnc. | j. |
| Seminis cydoniorũ<br>Papaueris<br>Melonis<br>Lactucæ<br>Tragacanthi | } añ. | 3. | iij. |
| Liquiritiæ<br>Ordei mundi | } añ. | 3. | viij. |

Decoque in libras quatuor aquæ fontium, & cum libris duabus zucchari fiat syrupus.

SEN. Hic est re vera iuiubinus apud Mesuen

syru

syrupus, tamen ipsum hoc modo nunquam parare potui, sed opus fuit semper, vel aquã augere vel zizipha diminuere. BRA. Nõ possum non credere descriptiones has mendosas esse: nẽpe zizipha aquam longè superant. vnde si decem libræ ziziphorum in quatuor aquę libras bulliãt, potius eclegma fiet quàm syrupus: imò vel nõ posset, vel ægrè bulliret. Propterea arbitror errorẽ potius esse in ziziphis, quàm in aqua: hunc enim syrupũ puto proportionem habere ad iuleb iuiubinũ, in quo etiam quatuor aquæ libræ ingrediuntur: sed quia hic centũ iuiubas accipit, & nihil aliud ingreditur, hîc sexaginta iuiubas sit mẽdas puto, vel cẽtum, non autẽ centũ quinquaginta, vt nonnulli accepere. Verũ sexaginta sumendas potius laudo, quoniam & antiquum Mesuen habeo ita præcipientem: Accipe iuiubas sexaginta: & potius enumerandæ sunt, quàm pondere describẽdæ: quia si pondere tradantur, opus est semina extrahere. SEN. Propter quid? BRAS. Quoniam hæc est, & esse debet vniuersalis regula apud pharmacopolas, vbi inueneris apud authores sebesten, pruna, iuiubas, tamarindos, per pondus in suis receptionibus descripta, semina abstrahenda sunt, & proiicienda: vbi autem per numerum ponuntur, semina extrahere non est opus, vt in hoc loco. Quare

legendum puto vt meus antiquus Mesue habet, iuiubas sexaginta. In alia etiam re error est. vbi enim legitur violarũ, seminum maluę vnc. v. legi debet drach. v. vt ille antiquus Mesue citatus habet, qui in multis multò emendatior est: & vbi recentes violæ haberi possunt, recentes semper accipias, quoniam siccę vires mutant. SEN. Quid de iuiubis? Sũtne recentes, an siccæ sumendæ? BRAS. Recentes potius, sed benematuræ. Sunt autem bene maturæ cum rugosæ fiunt, & dulciores: acquirunt autem & perfectam maturitatem ab arbore remotæ, quia humiditas quædã crassa resoluitur, & rugosæ ac dulciores fiũt, dulcedine quadam emolliente. Propterea & si à Galeno & antiquioribus reprobentur, tamẽ ad incrassãdam materiam probè valent, & maximè prosunt. Sumuntur recentes bene maturæ: cùm verò recentes desunt, siccas accipito, non quidem siccitate extrema: sed tali vt intus sit mollities illa suæ carnis sub corio prædulcis: quales sunt eæ, quas Ferrarienses mulieres filo consuunt, & fenestris suspensas seruant, prius quàm sextum mensem transierint. Pro semine papaueris, de albi papaueris semine intelligito: pro ordeo mundo, intellige à suis corticibus, vt vis abstersiua abeat, & lenitiua remaneat. Cùm autem hunc syrupũ facis, primò iuiubæ ingredian

tur,

tur, postea semina, & glycyrrhiza, deinde tragacanthũ, deniq; violæ, & capilli Veneris.
SEN. Qua de re? BR. Quoniã prius ea ponere oportet, quę maiorem decoctionẽ sustinent, deinde quæ minorem, tertiò quæ minimam: quippe tres gradus in decoctionibus sunt. Primus ea recipit, quę multã decoctionem sustinent. Secũdus ea, quæ mediocrem. Tertius ea, quę paruã. In vnũ te admoneo, quòd zucchatũ hunc syrupũ ingrediens libra vna esse debet, nõ duæ: quia in simplici syrupo iuiubino, quẽ iuleb de iuiubis appellat, vnã zucchari libram solùm ponit, in quo nihil aliud est quod inspissare possit, quàm iuiubæ. In hoc autẽ syrupo cõposito multa alia sunt, quæ decoctionẽ inspissant. Adde quòd syrupi magis coq debẽt quàm iuleb: ideò nimis spissaretur, si duas zucchari libras reciperet. Nec opus est dicere quòd decoctio ad dimidium non fiat: nam & si Mesue põdus decoctionis non ponat, quantũ solui debeat, tamẽ regula sequẽtis syrupi seruãda est, & Iuleb iuiubini, & aliorũ multorũ, vbi quatuor aquæ libras decoquendo ad duas reducit. Si etiã experiaris, inuenies pulchrius fieri cũ vna libra zucchari, quàm cũ duabus, & in sequenti syrupo de papauere, in quo Mesue quatuor aquæ libras tantùm ponit, satis esse voluit octo vnc. zucchari, & octo penidiarũ. Tamen quia

zucch

zuccharum (vt fertur) nullum ferculum perturbat, si duas libras ponere volueris, in tuo arbitrio sit, sed vna sola satis est, & syrupus aptius ducitur. Hoc autem nunc omisso, ad syrupos alios transeamus. SENEX.

*Syrupus de papauere.*

SYrupus de papauere sequitur. BRAS. In nulla re magis confusi sunt pharmacopolæ, quàm in hoc syrupo. SEN. Qua de re? BRAS. Quia multæ sunt descriptiones, & aliqui pharmacopolę vnā, alii aliā sequūtur. O miseros ægros, quibus præter intentionē vnus syrupus contingit ex his de papauere, qui suę ægritudini ita non quadrat: à Medico autem putatur conueniēs exhiberi. SEN. Credebam ego omnes pharmacopolas compositū Mesuæ de papauere parare. BRA. Quem appellas tu compositum? nam omnes compositi sunt. SEN. Ego illum compositum appello, cuius descriptio apud Mesuen hæc est:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe papaueris albi<br>Rubri | } añ. | 3. | 50. |
| Capillorum Veneris | | 3. | xv. |
| Liquiritiæ | | 3. | v. |
| Iuiubæ | | nu. | xxx. |
| Seminum lactucæ | | 3. | xl. |
| Seminum maluæ<br>Cydoniorum | } añ. | 3. | vj. |

Coquātur in libras quatuor aquæ ad cōsumptionem medietatis, & cum zucchari & penidiarum

diarũ ana 3.viij.fiat ſyrupus.BRA. Tu hoc vteris?& paratum ſeruas?SEN. Et nunc ſeruo, & continuè ſeruaui.BRA. Multi tamẽ in hac vrbe ſunt, qui ſequẽtem à Meſue poſitum ante ſyrupum Dinari faciunt.

Recipe papaueris albi } id eſt, eorum capi
Nigri } ta,ana 3. lx.

Et decoquantur in libras quatuor aquæ pluuialis quouſq; redeant ad lib.vnã & ſemis, & cum zucchari albi,& penidiarũ,an.3. iiij.fiat ſyrupus.SEN. Eſt ſimplex de papauere.BR. Ita appellari poteſt, quia nihil aliud decoctionem, præter papauerum capita, recipit. Alios etiã notaui, qui primũ ſyrupum de papauere Auicennę faciunt, qui & ipſe ſimplex eſt,ſed vuę ſuccũ recipit,aut ſapam.Propterea nõnunlli in cõpoſito Meſuæ à te citato ſapam addunt: nam ſemi libram ſapæ cum ſyrupo ad bulliendum ponunt:quod tamẽ nec ab authore dicitur, nec conuenit,cùm infrigidare intendamus,& ſapa calida ſit.SEN.In tanta confuſione quos ſequi debemus?BRA. Opus eſt duos ſyrupos Meſuæ de papauere paratos habere. Primum ſimplicẽ: Alterum compoſitum. Nam ambo ad ſomnum inducendũ,ad ſitim extinguendam,ad prohibendam deſtillationem ad pectus,& ad leniendũ valent. Sed ille ſimplex minus frigidus eſt, & ſolùm intentionem ſimplicem habet ad prædicta

dicta,ad somnum scilicet prouocandum, & leniter infrigidandū: Compositus autem ad infrigidandū, & leniendū intensius. Ideò à Mesue ad tussim ficcā, & phthisin valere dicitur. SEN. Curabo vt in mea officina ambo sint. BR. Si vtrosq; habere neglexeris, saltem compositum habeas: Ego autem pharmacopolam laudabo, qui vtrosque seruabit. SEN. Nunquam mihi deerunt. Dic autē (ni piget) debentne eo modo fieri, vt descripti sunt? BRA. Nōnullis erroribus demptis, aut emendatis, eo modo fiant. SEN. Illos libenter audirem, ne deinceps incautus errarem. BRA. En in simplici de papauere, papauerū capita in quatuor aquæ libras ebullit, quousque libra vna cum dimidia relinquatur: Sed papauer ex his est, quæ mediocrē decoctionē patiuntur: propterea si tam diu bullierit, vires amittere puto, præsertim si papauerū capita recentia sint. Si enim antiqua essent, maiorem ebullitionem exigerēt. SEN. In recentibus ad quantū aqua ebulliendo resolui debet? BRA. Satis est, si pars tertia resoluatur, vel libra vna, & semis. Ideo Mesuen ita legas: & decoquatur in libras quatuor aquę, vsq; dum desit libra vna & semis, vt à quatuor libris aquæ libra vna & semis bulliendo euanescat: vnde libræ duæ & semis decoctionis relinquentur. SEN. Conuenientius videtur quod

min

minus reſtet, propter minimam quãtitatem zucchari, quæ ingreditur: ſũt enim quatuor zucchari, & quatuor penidiarũ drachmę. BR.

O bone vir, mendoſus eſt Meſue contextus, & legi debet, vncias quatuor, non drachmas. Idem error in compoſito de papauere eſt. vbi enim legitur, zucchari & penidiarũ an. 3. viij. legi debet, vncias octo: nec valet quod aquæ quantitas reſpectu zucchari multùm exuperet in ſimplici de papauere, quia penidia vice zucchari fungũtur. Nõ debent autẽ tantũ papauera ebullire, tum ob cauſam dictã, tum quia humiditas & frigiditas maximè expetũtur, quæ ob multã decoctionẽ euaneſcũt. Nõ laudo etiã quòd pluuialis aqua ſumatur, ob rationes dictas: quã tamen Meſue ſumẽdã iudicat. SE. Sũtne in cõpoſito de papauere aliqua errata? BRA. Et maxima. SEN. Quomodo maxima in re tã vulgata? BR. Audies. Nam calida pro frigidis recipit. SEN. Quæ ſunt hæc? BRA. Dicit papaueris albi & rubri: eſt autem rubrum papauer antiqua anæmone, quæ calida eſt. In hoc autem ſyrupo frigida ſolùm recipiẽda: propterea legendũ eſt potius papaueris albi & nigri, non rubri. Aliter præter intentionẽ rubrũ papauer poneretur. Adde, in noſtro antiquo Meſue legi, papaueris albi, & nigri: & quod nigri, & non rubri legi debeat, teſtimonium ſumi poteſt

*Locus Meſue reſtitutus.*

potest ex simplici de papauere, in quo papauer album & nigrum ponuntur, cuius intentio est infrigidare, & somnum prouocare. Cùm autem eadem intentio in hoc sit, rationabile est albi & nigri legi, non autem rubri. SEN. Hic esset magnus error. BRA. Imò est, & non animaduertitur. SEN. Deinceps igitur nigrũ, non rubrũ accipiam. BRA. Itaq; non errabis. SEN. Vidi alios syrupos de papauere, quibus medici in alui profluuiis vtebantur. BR. Multæ aliæ sunt descriptiones syruporũ de papauere, à multis aliis authoribus scriptæ, quas prosequi non est opus. Auicenna duas ponit, quarum secundam ad profluuiũ alui valere certũ habeo. Prima autem ad somnum conciliandũ: & à nonnullis fit, quem appellant syrupum de papauere centum capitũ, estq; simplex syrupus. Nicolaus etiam syrupum de papauere ad profluuium valere scribit: imò & antiquiores in profluuiis alui papauere vsi sunt, extantq; apud Aetiũ, Paulum & Oribasium multa ad profluuia, quæ papauera recipiunt. Hæc autem de hoc syrupo satis. SENEX.

*Syrupus de quinque radicibus.*

SYrupus de quinq; radicibus in ordinem venit. BR. In quẽ ordinẽ, si ordinẽ nõ seruas? SEN. In ordinẽ mex inordinatæ schedæ. BRA. Equidem inordinatæ, nam simplices syrupos seorsum à compositis scribere poteras,

ras,& calidos à frigidis,aut saltem ordinem secundũ humores habere,aut secundum corporis partes, aut secundũ ægritudines. SEN. Nihil cõsideraui, sed ordinaui vt in mentem venere,&vt in officina præsentabãtur.BRASAVO. Quum hoc ad rem ipsam nihil referat, syrupum de quinq; radicibus examinemus. Quod magis commodè fiet, si vnà & syrupum de duabus radicibus, & syrupum Bisantium sine aceto,& cum aceto,& syrupũ acetosum simplicẽ discutiamus.Omnes Pharmacopolæ & hîc & per totam Italiam eundem syrupum acetosum simplicem parant, eum scilicet,qui à Mesue describitur, & simpliciter syrupus acetosus nuncupatur,qui & ab Auicenna ponitur prima fen.quarti canonis,in libro autẽ quinto plures syruposacetosos describit, & Serapio in suo Antidotario,& Hali in x.libro suæ practicæ, hũc præsentem syrupum acetosum simplicem conformari docent.SEN. Nónne antiquiores de ipso tractarunt?BRA.Nusquam. SEN.Quomodo hoc dicis? nam Mesue ipse de hoc syrupo Galenũ adducit.BRA.Quomodo autem Mesue Galenum adducere potuit, si Galenus zuccharum ignorauit? SEN. Istud igitur mirũ est, præsertim cùm à recentibus Galenus XI. de arte curatiua adducatur.BRASA. Certus sis, nusquam de eo loquutum esse

Galenum, imò grauius errant, qui librũ ſecretorum Galeni adducunt, in quo hunc ſyrupũ inueniri dicunt. SEN. Vnde igitur hic error emanauit? BRASA. Quia Hippocrates, Galenus & antiquiores de oxymelite tractarunt, quod ab hoc differre non videtur, niſi quia mel zucchari loco ſumit. Zucharũ verò antiquiores ignorarunt: propterea acetoſum ſimplicé Meſuæ parare nõ poterãt, ſed bene oxymelité, de quo ſuo loco diſſeremus. Eſt autem ſimplicis acetoſi vel ſine aliquo addito acetoſi deſcriptio hæc, quæ ſequitur, per Meſuæ verba expreſſa:

*Syrupus acetoſus ſimplex.*

REcipe zucchari boni albi partes qnq;, & in vaſe lapideo pone, & ſuperinfunde aquę fontis dulcis & clarę libras quatuor, & decoquatur, ſemper eius ſpumam abiiciẽdo, & ſit ignis, in quo coquitur, prunarum, aut tenuis flãmæ ſine fumo, & decoque hoc modo, donec clarificetur, & diminuta ſit, aqua, ſicut medietas eius: deinde infunde ſuper ipſum aceti vini albi clari partes duas in leui, & in forti partes quatuor, & in mediocri partes tres, & da ei poſt illud decoctionem in coctura: ſit autẽ hæc coctura, coctura ſyrupi. Hæc Meſue ad verbũ. SEN. In hoc ſyrupo plura mihi præſentantur ambigua: incipiã autẽ ab vltima parte, vbi inqt: in leui partes duas, in forti quatuor, in mediocri tres: per hæc verba

verba quid intelligendũ sit dubito. Nam illos aberrare puto, qui leue ad acetum applicant, & forte, & mediocre, in aciditate. BR. Imò maximè errant, quia potius de leui aceto partes quatuor ponendæ essent, & de forti partes duæ. Sed verus intellectus est, quòd leue, mediocre, forte, ad syrupũ referãtur, vel ad morbũ: vt sensus sit, in syrupo leui, qui nõ multũ aperiat, duę aceti partes sint: in forti, qui multũ aperiat, sint partes quatuor: in mediocri, qui mediocriter aperiat, sint partes tres. Aut ad morbũ referamus: In leui morbo sint duæ aceti partes in syrupo: in forti sint quatuor aceti partes: in mediocri morbo sint tres partes aceti. Dic autẽ, paratisne hos tres simplices syrupos in leui, forti, mediocri? SE. Vnus solùm paratur. BRAS. Quinam est ille? Differũt pharmacopolæ. Sũt qui tres partes aceti ponãt, & qui duas, rari qui quatuor, tamẽ & reperiũtur qui addant. BRA. Tu quẽ facis? SE. Semper eũ paro, in quo tres partes aceti sunt. nã potius mediũ sequi elegi, quàm extrema. BRA. Ego autem vnum extremum potius sequerer. SEN. Quod? BRAS. Vt duæ partes aceti solùm ponantur, quia medico semper licet, quando voluerit, acetum addere. Sed quando plus aceti receperit, quàm medico placeat, ita facilè subtrahi non potest. SEN. Imò potest, alia addendo. BRASA.

Sed non ita facilè, nec deinde syrupus aceto sus erit. SEN. Tua ratio non mihi displicet, propterea eũ deinceps parabo, in quem duæ partes aceti ingrediũtur. BR. At opus erit, vnum semper agas. SEN. Quid est hoc? BRAS. Vt medicum admoneas, qui hoc syrupo vtitur, te eum solum feciſſe, qui leuis est: & in leui morbo valet, in quo duæ partes aceti tantum sunt: vt si acetũ addere voluerit, addat: tamen conuenientius esset tres syrupos habere. Verùm nostri temporis medici nõ solùm hoc non curant: sed inter hos syrupos differentiam nesciunt, nec an fiant, sed cùm indicunt, ægro satisfeciſſe putãt: rem verò quam ordinãt, & an bene paretur, ignorant. Hæc autem aliàs: quia nobis institutum nõ est de medicis malè dicere. SE. Aliud etiã est, quod in hoc syrupo me addubitare fecit, qa Mesue inquit ad materias calidas valere, & ad frigidas & ad subtiles, & ad crassas viscosas: hæc autẽ oppositа videntur, & simul incompatibilia esse. BRA. Opus est scias, quòd hæc eadẽ quantitate non agit, sed diuersa: nã hic syrupus ratione aceti incidit, & frigidus est: propter frigiditatem ad materias subtiles & calidas valet: sed ob incidendi vim, quam habet, ad crassas materias & glutinosas valet, eas attenuando: vnde non inconuenit vnum ratione diuersarum partium, & qualitat

tatum ad duo contraria valere. Non autem quæ sequuntur: quia in materiebus frigidis & crassis, nō valet ratione frigiditatis, tamen valet ratione incisionis. Ideò addit Mesue, posse virtutem infrigidationis tolli, non remota eius penetratione. Istud autem fit, illi nonnihil calidi addendo, vt cinamomū, aut radices calidas aperientes, quæ non solùm frigiditatem remouent: sed ad penetrationem & resolutionem addunt. SEN. Miror quomodo Galenum adducat, si nusquam Galenus de eo loquatur. BRA. Galenus de oxymelite tractat, quod ex melle & aceto fit, de quo suo loco differemus: puto illum esse locum, quem Mesue citat. Sed vnum est, in quo magis ambigo, quàm in prædictis. SEN. Quid est illud? BRA. Hunc syrupum ad atram bilem valere: tamen Hippocratis, & Galeni sententia est, acetum eos iuuare, in quibus amara, eos autē summopere lædere, in quibus atra bilis dominabitur, sed magis mulieribus inimicatur, quàm viris, nam vterum lædit. Non videtur ergo in melancholica materia conuenire. SE. Quid igitur ad Mesuen dicere oportebit? BRA. Fortè non intelligit ratione suæ qualitatis ad atrā bilem valere, sed tātùm ratione penetrationis: quia alia medicamēta atræ bili propria ad statuta loca penetrare facit, & vim dissoluēdi ac dissecādi illis tribuit. Ideò

acetum atræ bili conueniens non est, nisi ratione penetrationis. SEN. Hoc igitur per accidens prouenit, & non ex natura huius syrupi ob suam qualitatem. BRAS. Quicquid sit, hic syrupus acetosus, ratione qualitatis aceti ad humorem melãcholicũ nõ valet: sed tantùm penetrare facit, & resoluit: propterea ad syrupũ acetosum compositũ veniamus. SE. In Mesue post hũc syrupũ simplicẽ acetosũ, quem ipse syrupum acetosum absoluto vocabulo appellat, syrupus acetosus cum radicibus sequitur, quem recentes de duabus radicibus vocãt, & acetosum compositũ. Fit autẽ cum aceto, & sine aceto: cũ aceto est acetosus compositus: sine aceto absolutè est de duabus radicibus: licet qui ordinant, cũ aceto, aut sine aceto, addere soleant. SEN. Ita est, & nos vtrosq; paratos seruamus. Et hũc, qui acetũ susscipit, de duabus radicibus cũ aceto nuncupamus. vel acetosum compositũ, vel acetosum cũ radicibus: qui autem acetũ nõ habet, de radicibus absolutè dicitur, vel de duabus radicibus sine aceto. BRA. Vbiq; per totã Italiam ita paratur, & Mesue compositionẽ sequuntur omnes medici, quæ hæc est:

*Syrupus acetosus cũ radicibus.*

REcipe aquæ fontis claræ libras decem, & proiice super ipsam radicis fœniculi, apii, endiuiæ, ana vncias iij. anisi, seminis fœniculi, apii, ana ʒ. viij. seminis endiuiæ,

vnc.

vnc.ß. Coquatur cum facilitate quousq; veniat ad lib.v.tũc proiice super ipsam zucchari boni ℔.tres, & clarificetur sicut prius: deinde funde super ipsum aceti boni quantitatem sufficientẽ,iuxta modũ superioris doctrinæ, & da vbi oportet. Hæc Mesue. SEN. Hic est ille syrupus,quem facimus. BRA. Auicenna hunc syrupum quinto libro docet,& eum syrupum acetosum cõmunitatis appellat:sed non addit radices endiuiæ, quæ fortè in Mesue abesse debent: nam & in meo antiquissimo Mesue non adsunt. Vnde vocatus est de duabus radicibus, quia duæ radices solæ ingrediũtur:& tunc nõ erit opus fugere, quòd tantùm duæ radices calidæ ingrediantur:endiuia autem sit radix frigida, ideò dictus sit de duabus radicibus,scilicet calidis. SEN. Reperitúrne apud antiquos hic syrupus? BRA. Nõ reperitur hoc modo cõpositus, sed apud Paulum Aetiũ & antiquiores proportionales decoctiones inueniuntur ex radicibus & apii,& fœniculi,& ex hyssopo, pulegio, origano, tragorigano in materiebus crassis,vt liquidum est,si eorum volumina legeris,quę vbi de febribus notis tractant,his plena sunt. Hic autem syruporum modus inuentus est, vt omni tempore hæc in promptu habeantur,& magis delectent. Dicas autem, quando radices in syrupum ponis, sumísne inte-

gras? SEN. Non, sed in frusta seco. BRA. Hoc non peto, sed an radices integras, non adempto meditullio, an corticem tantùm circa meditullium accipias. SEN. Semper excoriamus, & meditullium abiicimus. BRA. Sed sine ratione factũ videtur: nam vis radicis in eo potissimùm consistere videtur, quod est mediũ totius, & in quo potissimùm vita plantæ est, hoc autem est meditullium: nam eo non modò tota radix, sed & tota planta viuit. SEN. Ratio id inferre videtur: tamen in hoc syrupo de radicibus apud Auicennam v. lib. ita scriptum reperitur: Recipe corticum radicis fœniculi, & corticũ radicis apii. Quod argumentum est, corticem sumendum esse. BRA. Et ego ex Mesue argumentum faciam, quia ipse in suo syrupo, dicit radices accipiendas, non corticem radicis: ideò radices sumẽdæ, quæ integræ sint. Etenim Mesue cortices harum radicum dicere sciuisset, & non radices, si cortices, & non radices sumẽdas voluisset. SEN. Quid ergo sumendum? BRA. Vt hanc rem optimè enodemus, scito apud philosophos in viuentibus ordinem perfectionis dari, & imperfectionis. Homines inter viuẽtia perfectissimi sunt, propterea ad hominis generationẽ multa instrumẽta requiruntur: in brutis pauciora, quàm in hominibus: in insectis adhuc pauciora, adeò vt in frusta etiam

con

confecta per aliquod temporis ſpatium partes viuant. Arbores autẽ & herbæ tot inſtrumentis non indigent, ideò non ſolùm per ſemen, ſed etiam per ſurculorum tranſplantationem, & inſitionẽ. Eodem modo herbæ ſemine, & per ramuſculorum plãtationem viuunt, & in eadẽ ſpecie indiuidua faciunt. Omnia autem, quæ viuunt, vno organo indigent, in quo potiſsimùm vita fundatur, vt in animalibus cor, quod eſt caloris fons: inſecta verò in fruſta conciſa, habent aliquid cordi proportionale: propterea & inciſa viuũt, nõ tamen diu, quia interciſum eſt cordi analogum, & corruptum. In plantis verò per totũ eſt proportionale cordi. Ideò inciſæ in partes, & plantæ viuunt, & quælibet pars ſuum cor habere videtur: tamen in tota planta vnũ ſolum erat actu, plura autem potentia. Cùm autem incidũntur rami & ſurculi à planta, actu efficiuntur illius ſpeciei plantæ indiuiduæ, & actu habent cordi proportionale. Similiter in omni viuente opus eſt vnum eſſe, quod in toto continuationem faciat, & à quo nerui & totus ligamẽta naſcantur, ſine quibus nõ cõſiſteret, nec moueretur. Hoc in animalibus eſt cerebrum, & ſpinalis medulla: in plantis eſt meditullium illud. Sicut autem in animalibus illa pars frigida eſt ſecundũ ſpeciem animalis: ita hoc meditulliũ ſpinali me-

dallæ proportionale, ratione herbæ, cuius est meditullium, est frigidius, vel minus calidũ: propter hoc ita aperitiuũ non erit, sicut cortex, quo integitur in radicibus calidis. In frigidis radicibus secus est, quia habent frigiditatem maiorem, quàm habeat cortex, & hoc in multis. Sunt etiam aliquæ radices, quæ hãc differentiam nõ habent: quia vsq; in profundum eodem modo carnosæ sunt, vt rapa, cuius cortex tenuissimus est, in medio tota caro est, & in rapa vis in medio est, nõ in cortice. Eadem fortè ratio in rhabarbaro dicenda esset. Ad rem igitur redeuntes, in radicibus aperientibus cortex sumi debet, quando radices aliquas decoctiones ingrediuntur: & ratio in promptu habetur, quia cortex magis calidus est, & magis aperitiuus, quàm meditullium. In frigidis autem radicibus & non aperiẽtibus, meditullium simul addere oportet, vt cùm cichoreũ decoctiones ingreditur, meditullium adimi non debet, tum quia frigidum, tum quia egregius cichorei qualitatẽ seruat: nam in meditullio maiorem amaritudinem sentis, quàm in cortice. SEN. Est ne verè cortex id, quod meditullium integit? BRAS. Respectu meditullii cortex appellari potest, tamen respectu radicis nequaquam: quippe in radice tria sunt: Cortex, qui primò occurrit, & terræ propinquus est, qui ita se habet

habet ad radicem, sicut hinc, id est, pellicula tenuis, quæ nos ambit: deinde caro, quæ est à cortice isto subtili vsque ad meditullium: postea meditullium, quod à mulieribus Ferrarien sibus anima herbæ nuncupatur. Exterior cortex sumi non debet, sed is, qui est à summo cortice vsque ad meditullium, quod caro appellatur. Superior enim cortex & terream naturā sapit, & à radiis solaribus exustus est: vnde in calidis & aperientibus radicibus in decoctionibus, & in hoc syrupo, & aliis carne vtaris: in frigidis autē radicibus, & carne, & meditullio, vt in endiuia, cichoreo, lactuca. Quod si dicas in cichoreo meditullium calidum videri, quia amarum, nam (vt Galenus quarto lib. de Simplicium medicamētorū facultatibus testatur cap. XVIII.) omne amarum est calidum. Respōdemus omnino aliquam caliditatem habere, propterea aperit: his enim duobus insignitur cichoreum, quod aperit, & infrigidat. SEN. Ita igitur agendū erit quomodocunq; radices sint? BR. Si radices multùm tenues essent, nihil moueri oporteret: si autē crassæ essent, meditullium abiiciendū est. SEN. Tu autē superius mihi videbaris satis euidenti ratione probare meditullium efficacius esse, vtpote in quo vis intensior sit, quia est tanquam anima plantæ. BRA. Tamen si carnem gustes, atq; meditullium,

lium,in carne,& saporem, & odorem intensum herbæ persentis, sed in meditullio parũ (aliquibus demptis,præsertim frigidis.)Gusta hunc apii corticem, & hunc fœniculi,nũc modò eorum meditullia gusta. SEN. Gustaui, & aliâs sæpe gustaueram, maior vis in carne sentitur,& nescio quid excellentius,quàm in meditullio sentitur: tamen quia apii radices paruæ sunt & caro tenuis,rarò aut nunquam meditullium remouemus. BRA. Sed Mesue in Secœniabin (ita ipse appellat) de radicibus,inquit: Recipe corticum radicis apii,fœniculi,& reliqua,quæ sequuntur. quod indicium est ab apio etiam meditulliũ remouendum:& Auicenna in syrupo acetoso de radicibus communitatis, iubet corticem radicis apii in syrupo recipiendum. SEN. Fortè hoc ab re non esset,cùm authores dicunt,Recipe corticem radicis:tũc sola caro sumatur.cùm autem dicunt,Recipe radicem:tota radix integra,meditullio non amoto,accipiatur. BR. Hoc videretur rationem aliquam habere,nisi authores de radice quandoque loquentes carnem meditullio dempto intelligerent: & quia maior vis in aperientibus & calidis in carne est,quàm in meditullio: & quia meditullium minus crassum est & durũ,quod magna decoctione indigeret. SEN. In quibus casibus hoc syrupo yteris? BRA. In materie-

bus

bus bilioſis notis, quę craſſæ ſunt: & etiã valet ad materias pituitoſas. Nam obſtructionum aperitiuus eſt, non modò hepatis, ſplenis, & renum, ſed etiam vniuerſi corporis, & materias craſſas atque glutinoſas incidit & abſtergit. SEN. Quo tempore ægritudinis exhiberi debet? Solent enim recentes poſt ſeptimam propinare. BR. Nullum adeſt ſtatutum exhibendi tempus per dies: ſed ſemper exhiberi poteſt, quando oportet, etiam ſi in ægritudinis initio ſit. Tamen ægritudines, quæ non ſunt bilioſæ purę, ſed notæ, vt plurimùm hũc ordinem habent: vt in primis portio ſubtilioris materiæ reſoluatur: ideò rarò ante primã hebdomadam eo indigemus. Quare dicere non oportet ante ſeptimũ diem, vel poſt ſeptimum diem ſumendum eſſe: ſed quando opus eſt. Opus autem eſt, quoties materia craſſa eſt, lenta, glutinoſa, & partes noſtri corporis obſtructæ ſint, tunc ab hoc ſyrupo etiam in principio ægritudinis incipere debes. Hic autem antequam ad aliam tranſirem, de tempore colligendarum radicum verba facerẽ, niſi ſtatuiſſem determinato libello, de tempore colligendarum herbarum tractare. Ab hoc autem nõ abſtinebo: cùm multi ſint, qui voluerint radices colligendas eſſe, cùm herbæ folia amiſerint: eo autem tempore in meditullio nulla vis eſt, quæ ad temperaturam faciat,

faciat, sed ad plantæ vitam solùm facit: quod argumẽtum est, carnem, & nõ meditullium, sumendã. Ad rem autem nostram redeuntes, dic quum author inquit, tunc proïice super ipsum zucchari boni libras tres, & clarificetur sicut prius: quomodo hanc partem intelligis? SEN. Hoc modo, postquam ebullierit, percolamus omnia benè exprimentes. BRA. Hoc mihi summè placet, quòd expressio fiat. SEN. Postea tres zucchari libras addo. In hac autem re inter se differunt pharmacopolæ, quoniam aliqui duobus, aut tribus ouorum albuminibus sumptis zuccharum, & totam decoctionem simul clarificant: alii zuccharũ per se clarificant, & deinde in decoctionem ponunt: alii nullo modo clarificant. BRA. Hi fortè non ineptè agunt, quoniam frustra albumen oui poni videtur pro liquorum depuratione, in quibus acetum ingreditur. Tu autem quomodo agis? SEN. Ego in tota decoctione clarificare soleo, duobus, tribus, aut pluribus ouorum albuminibus sumptis, pro quantitate syrupi, quam facio. BRA. Tu ergo maiorem syrupi copiam facis, quàm ab authore describatur. SEN. Equidem. BRA. Deinceps ne hoc feceris: nam in theriaca ostendimus ex mente Galeni, nec augendas, nec diminuendas, medicamentorum quãtitates, & compositiones, de qua re aliâs tractabimus.

SEN.

SEN. Deinceps integram compositionem parabo. Dic autem tu, laudas præsentem syrupum clarificari, an non? BRAS. Id agendum est, quod ab authore dicitur. SEN. Quinam modus est ille? BRA. Ipsum lege, qui inquit, clarificetur vt prius. Ideò opus est eo modo clarificare, vt prius docuerat, quod in acetoso simplici fuit. SEN. Quomodo docuerat? BRA. Ebulliendo & expumãdo, semper spumam abiiciendo, & decoquatur hoc modo, (inquit) donec clarificetur. Itaq; huius syrupi clarificatio fiet, spumam demendo cùm ebulliet cum zuccharo, donec clarus euadat, ea scilicet claritate, quam habere possit, quæ tamen erit integra claritas. SEN. Ouisigitur parcam? BRA. In hoc casu parces, nam & frustra cum aceto ponuntur. SEN. Debétne diminui vsque ad dimidium? BRA. Non, sed vsque ad claritatem, quam habere potest: hãc autem habebit, cùm amplius spumam nõ faciet. Dic autem, quam aceti quantitatem in hunc syrupum ponis? SEN. Pro qualibet syrupi libra semilibrã aceti. BRA. Sunt qui vncias iiij. & qui v. & qui viij. pro qualibet libra ponant. SEN. Quid in causa fuit, vt hæc differentia nasceretur? BRA. Quoniã in hoc syrupo eodem modo, vt in præcedenti acetũ poni debet, in leui partes duæ, in forti partes quatuor, in mediocri partes tres: quia Mesue

ad

ad præcedentem ſyrupũ ſeipſum refert. Ideò aliqui fortem, aliqui debilem, aliqui mediocrem, aliqui nullum, ſed ſuo modo parant. SEN. Igitur tres ſyrupi compoſiti acetoſi fieri deberent? BRA. Deberent quidem, ſed ſatis eſt debilem, id eſt, debili morbo cõuenientẽ, vel in aceto debilẽ ſeruet: quia doctus medicus, acetum ſemper addere poteſt, ſi opus erit. Si autem vel fortis vel mediocris eſſet, & debiliori indigeret, acetũ auferre non poſſet, vt in ſimplici acetoſo etiam diximus: ſemper autem bulliat expumando, poſt impoſitionem aceti, quod ſyrupum clarum reddit. Ideò ouis non indigemus, vbi acetum ingreditur, ſed illis ſolùm vtimur in illo de radicibus ſine aceto, ſecundum vos pharmacopolas: ſed ſatis eſt ſecundum Meſuen ebullitio: vnumque animaduertas, ſi abſque aceto ſyrupum feceris, vt ſine aceto de radicibus appelletur, quando ipſum clarificas expumando, ſemper expumare debes, quouſque perfectus ſit, & ad ſyrupi coctũram peruenerit. Si autẽ acetum addere volueris, vt ſit acetoſus compoſitus, vel acetoſus de radicibus, noli expectare quòd coctus ſit, quando acetum addere volueris, ſed tunc ponas acetum, cùm prope coctũrã ſyrupi peruenerit, ſemper expumando. SEN. De hoc ſatis dictum eſt: ad illum de quinque radicibus veniamus. BRA. Vt lubet:

ſed

sed dic quem authorem sequimini in hoc syrupo? SEN. Ignoro, nos ipsum magistralem syrupum appellamus, & eo medici vtuntur: vnde autem venerit, nunquam audiui. BRA. Et ego certè nusquam inueni, nisi in quibusdam libellis Receptariis nuncupatis Petri Galli: possent dici libelli de cõponendis medicamentis: sed communiter, & κατὰ γένη, & κατὰ τόπους. id est, & secũdũ genera, & secundum locos. Tu autẽ addidisti esse magistralem syrupum: quid intelligis per illam particulam magistralem? SEN. Nos receptas magistrales appellamus, quæ in vsu quotidianõ sunt. BR. Appelletis vt lubet. Quod mihi absurdum videtur, est, apud diuersos pharmacopolas vario modo Ferrariæ fieri. Sũt enim qui sequentem compositionem sequuntur: sed vnde hauserint, ignorant: nec eorũ præceptores sciebant.

*Syrupus de quinque radicibus.*

Recipe radicis Apii
Petroselini
Fœniculi
Asparagi
Bruscí
} añ. vnc. ij.

Misce, & bullíant in sex lib. aquæ fontis ad consumptionem tertiæ partis, deinde facta expressione addantur zucchari libræ tres, & in fine decoctionis, aut prope finẽ, adde aceti optimi vnc. viij. SEN. Hic non est syrupus

de quinq; radicibus, quẽ paro, & quẽ maior pharmacopolarũ pars parat: in hoc enim à te citato semina desũt. B R. Hoc nõ ignoro, tu modò tuum edoceas. S E. Est hic qui sequitur:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe radicis Apii<br>Petroselini<br>Fœniculi<br>Asparagi<br>Bruſci | ana | vnc. | ij. |
| Seminis Apii<br>Petroselini<br>Fœniculi | ana | vnc. | j. |

Misce, & omnia decoquãtur in ℔.x. aquæ, & libram vnam aceti ad consumptionẽ medietatis: inde coletur, & cum melle quantum sufficit, fiat syrupus. B R. Ponisne acetum vt cum aqua bulliat? S E. Pono. B R. Id non conuenit, sed tunc poni debet, cum ferè coctura facta est, aliter nihil ferè aceti haberet: vna etenim aceti libra in libris decẽ aquæ ebulliens non persentitur. S E. Ob hoc ęgrè persentitur acetum in hoc syrupo. B R. Cùm autẽ apud aliquos pharmacopolas in suis syrupis huius speciei sentitur acetũ, apud alios non sentitur, causa est, quia diuersas cõpositiones sequuntur, & diuersis modis agũt. Ego senturi voluerim, quia eius officium est aperire, attenuare, resoluere. Quę omnia excellẽtius fiũt, si acetũ in cõpositionibus addatur, quàm si

desid

desideretur. Dic autē, facisne cum melle aut zuccharo? SEN. Nullus melle vtitur: sed zuccharo. BRA. Tamen descriptio tua, quæ passim circunfertur mel recipit. S. Verū est: sed nos, vt suauiorem faciamus, mel accipimus. BRA. Id dicis ac si mel suaues syrupos nō faciat: imò ex melle dulciores sunt, & in hoc mel potius sumi voluerim, quàm zuccharū: quoniam hoc syrupo vtimur ad vehemētius aperiendum, quàm faciat syrupus de duabus radicibus. SEN. Noui ego pharmacopolas quosdam, qui syrupum de duabus radicibus exhibent, quoties syrupus de quinq; radicibus præscribit. BR. Hi vehementer errant: nā & si ad eandem intentionē valeāt, tamen hic est magis validus, quàm ille de duabus, præsertim quando additur quantitas aceti sufficiens. Nam quandoque indigemus parū aperire, quod facimus cū acetoso simplici: quandoque magis, quod facimus cum illo de duabus radicibus: quandoq; adhuc magis, quod facimus cū syrupo de quinq; radicibus. vnde medicus hoc peculiare in se habere debet, vt ad vnam intentionē debilia, fortiora, & fortissima p gradus habeat, & immutare sciat: nec vim naturæ faciat, si voluerit ab extremo ad extremum sine medio progredi. Cùm autē per media cōuenientia transit, naturæ satisfacit, & nullus error fieri potest. Alii ta-

men pharmacopolæ ſunt, qui aliũ ſyrupum faciũt ex quatuor radicibus, & illũ pro ſyrupo de quinq; radicibus parant. Ipſum autẽ in libro quodã ſuo inueniunt, qui Lumen apothecariorũ appellatur, ſub nomine ſyrupi de radicib⁹ magiſtralis, cuius cõpoſitio hęc eſt:

Recipe radicum apii
Fœniculi
Petroſelini
Endiuiæ } añ. num. j.

Seminum apii
Fœniculi
Aniſorum
Ameos
Aſparagi } añ. vnc. ß.

Aceti boni libras ij.

Omnia præter acetum in lib. xx. aquæ bulliant vſq; ad perfectam coctionẽ, deinde coletur, & colaturæ addantur mellis purificati lib. iiij. & acetũ prædictum, & ad perfectã coctionem decoquantur. SE. Rari ſunt qui hũc ſyrupum faciant. BRA. Aliqui tamen nõ deſunt. SEN. Quem debeo ego pro ſyrupo de quinq; radicibus paratũ habere? BRAS. Ego eum pararem, quem tu paras, ſed cum melle potius, quàm cum zuccharo. SEN. Accipiendæ ſunt integræ radices in iſto, an ſola caro? BRA. Caro ſola, præterquam in apio, cuius radicem integrã vt plurimùm ſumimus, tum quia

quia paruæ, tum quia meditullium tenellum eſt. BRA. Cùm is à medicis ſyrupus de quinq; radicibus præſcribitur, eũ facito, qui in medio deſcriptus eſt, in quo radices, & ſemina ponũrur: ſuaderemq; vt pro qualibet ſyrupi libra quatuor ſaltẽ aceti vnciæ ponerẽtur, ſi quis plures addere voluerit. Sed ad Biſantinũ ſyrupum veniamus, qui & ipſe in ordine horum aperientium ſyruporum, & qui acetum recipiũt, exiſtimatur. SB. Eſt Meſue ſyrupus. BRA. Nullum aliũ authorẽ legi (præter Meſuen) qui illum deſcriberet. In frequẽtiſsimo vſu eſt per totam Italiã, in materiebus craſſis, glutinoſis, & in magnis obſtructionibus, & præſertim vbi materia atrabilioſa eſt, vt in quartana febre. Sed tu eius deſcriptionem enarra. SBN. Ita ad verbum ex Meſue colligitur vt ego dicam:

*Syrupus Biſantinus ſine aceto.*

Recipe ſucci endiuiæ, Apii } añ. lib. ij.

Lupulorum, Boraginis vel Bugloſſæ aut domeſticæ aut ſylueſtris } añ. lib. j.

Bulliãt bullitione vna, & deſpumẽtur, ac depurẽtur. Tũc ex hoc depurato accipe ℔. iiij. zucchari tabarzeth ℔. ij. ſemis, & coquãtur cum facilitate donec fiat ſyrupus, hic eſt ſyrupus Biſantinus Meſue. BR. Nónne & acetũ ingreditur? SB. Nõ ingreditur in hoc qui ſine

aceto est. Si autē cum aceto facere volueris, Mesue docet ad omnē partem depurati succi addendum esse aceti boni clari partem semis, & tūc Byzātinus cum aceto appellatur: sed hi ambo, & hic, qui cum aceto est, & ille, qui sine aceto, dicūtur Byzātini absque additione. B R. Additionē addas, ne quicquā omittatur, quod nostrū examē effugiat. S E. Additio hæc est, vt in prædictis succis bulliant:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Foliorum rosarum | | vnc. | ij. |
| Liquiritiæ | | vnc. | ß. |
| Spicæ | | 3. | ij. |
| Anisi<br>Fœniculi<br>Seminis apii | } añ. | 3. | iij. |

Nihil aliud additur. B R. Hæc ferè sunt alter syrupus. Sed quomodo hæc ponis? S E. In succis ebullire facio vsq; ad ebullitionē illā, deinde percolo, & clarifico, deniq; acetū addo. B R. Hoc autē mirum est, in hac vrbe esse qui cum additione ista, & qui sine additione parēt. Ego suaderē, vt cū additione fieret: nam hic syrupus in aperiendo eum excellere dicitur, q de quinq; radicibus est. S E. Libēter abs te ordinē præcedentiū syrporū in aperiēdo haberē. B R A. Talis erit ordo, vt inter omnes nuper enumeratos primus in aperiendo sit, Acetosus simplex.

Postea de duabus radicibus sine aceto.

Tert

Tertiò, de duabus radicibus cum aceto.
Quarto, de quinque radicibus.
Quintò, Byzantinus sine aceto.
Sexto, Byzantinus cum aceto.

Byzantinus autem, vel cum aceto, vel sine aceto sit, cum additione semper fieri debet. Tamen de Byzātino sine aceto dubium fieri posset, an illum de quinq; radicibus superet, in quo acetum ingreditur: acetum autem ad aperiendum plurimum facit: propterea absolutè dicendum est, syrupum de quinq; radicibus, Byzāntinum sine aceto superare. Tamen Byzantinus sine aceto nūquam dari debet, nisi in eo casu, in quo acetum noceret, & reliqua quæ syrupū ingrediuntur, conuenirent. Sed & in hoc casu nec syrupus de quinque radicibus, nec acetosus compositus conueniunt. 8. Quo ęgritudinis tẽpore exhiberi debet hic Byzātinus syrupus? nẽpe recẽtes post septimū diem propinare solent. BRA. Vt suprà edocuimus, nõ adsunt statuta syruporum tẽpora: sed ægritudo & materia, & ægri affectio ea sunt quæ hunc vel illum syrupum vocant: vnde quocunq; tempore eo indigemus, dãdus est, etiã si ægritudo inciperet. Tamen rarò accidit, quòd in principiis eo indigeamus, propter hoc recẽtes, in principiis à Byzātino abstinẽdum esse dicunt, quod absolutè dicere non licet. In magna etenim ob-

ſtructione ab hoc incipere conueniet. Inquit accipiendam eſſe boraginem vel bugloſſam ſylueſtrem, vel domeſticam. Hoc à Meſue poſitum non eſt, ſed ab interprete additũ. Meſue tantùm boraginẽ ſcripſit, eius autem interpres ignorabat boraginem eſſe verum bugloſſum. Sed de hac re in examine ſimpliciũ locuti ſumus. Illuc recurras, ne librum libro miſceamus. SE. Dicitur à Meſue, Accipe eius depurati lib. quatuor, zucchari tabarzeth libras duas & ſemis. Qualis eſt horũ verborum ſenſus? BR. Intellige pro ſingulis quatuor libris ſucci depurati, duas libras & ſemis zucchari accipiẽdas eſſe. Vnumq; addo, Meſue intentionem eſſe, vt nunquam maior copia huius ſyrupi fiat, quàm ſint quatuor libræ ſucci, & duæ & ſemis zucchari. Nempe Galenus in Theriaces compoſitione docet, nunquam authorum compoſitiones augendas eſſe, aut minuendas, quando per certam & ſtatutam mẽſuram & per certum pondus ſcriptæ ſunt: ideò laudarem vt ſingulas compoſitiones in ſua quantitate parares: neminem tamen in ſyrupis cogerem vt hanc regulam ſeruaret, ſed in aliquo antidoto, & maiori pharmaco, non ſolùm ſuadens, imò cogerem. Vnde Venetorum Theriacam, & Mithridatum nihili facio, etiã ſi vera ſimplicia haberẽt: quia ſecundum Andromachi quan

tita tem

titatem & aliorum authorũ non parant: ſed adeò multiplicant vt lacus harum compoſitionum vna vice parẽt. Ad rem autẽ noſtrã redeuntes, quid intelligis tu per vnam ebullitionem? S E. Quod cùm bullire cœperit, ab igne dematur: vnde ex hoc infertur parum ebullire debere. B R. Deciperis bone vir, & tecum multi: quia illa verba integram ebullitionẽ notant: ſed illud ſemel fieri, non autem quod ebullire facias, poſtea frigeſcat, & deinde iterum bulliat: ſed cõtinuẽ bullire oportet, quoad ſpumam fecerit, & depuratũ ſit. Scitoq; zuccharũ tabarzeth eſſe zuccharum album: quippe Mauritani albũ tabarzeth appellant. Eſt autẽ albũ zuccharum id, quod bene expurgatũ & excoctum eſt, non tamẽ quod vulgò finum vocamus: ſed quod aliis præcedentibus purgationibus adeò depuratum ſit, vt album euaſerit, nondum tamen extremam manum accepit, & finum effectum ſit. Scito etiam, quod à Meſue dictum eſt ebullire cum facilitate, id in omni ſyrupo intelligendum eſſe, quia vehemens ebullitio ſpumã ingentẽ excitat, & perfecte confici nõ ſinit. S E. Vnum à te ſcire percupio, quare hic ſyrupus Biſantinus, aut Dinari nuncupatus ſit. B R. Id eſt nomen eius ſyrupus Biſantinus, ſed interpres parum bonus, qui in nomine deceptus eſt, vertit Dinari: quia Biſan-

tium genus monetæ est, ac si dicatur syrupus qui moneta dignus est. Re autem vera hæc inscriptio ita intellectu vana est: sed potius hoc coniectandũ à loco appellatum esse syrupum Byzantinum, id est, quo medici Byzantini vtebantur. Intelligo autẽ per Byzantium non Cõstantinopolim, quæ in Asia est: sed Byzantium in Aphrica: quanuis hoc Byzatiũ, nõ Byzantiũ scribẽdum sit: & sic apud Plinium legitur in castitgatis codicibus. Mesue enim Aphricanus fuit, & proprie Damascenus, vel fortè ab aliquo Græco Cõstantinopolitano hanc compositionem habuit, propterea Byzãtinũ, id est, Constãtinopolitanum syrupum appellauit, vtpote quem à Cõstantinopolitano authore habuit. Quicquid tamen sit, de nominibus multùm solicitos esse non est opus, modò rem ipsam cognoscamus. Dic autem tu, si intra annum hic syrupus deficeret, quomodo eum reparabis, quia succos non habebis? S E. Nos magnam copiam facimus, & succos seruamus, si forte fortuna deficeret. B R. Quomodo succos seruare potestis? S E. Factis succis, eos percolari dimittimus, quibus optimè percolatis, fæcem abiicimus, postea per densum linteum descendere, facimus, deinde in vitreatum vas ponimus cùm bene depurati sunt, & oleum suprà ponentes seruamus. B R. Miror,

quòd

quòd breui non corrumpantur. SEN. Imò corrumpuntur, sed non ita breui. BRASA. Quanto tempore durat? SEN. Per spatiũ sex aut octo mensium. BR. Hoc nihil est, nam opus erat saltem per integrum annum seruare. Vidi ego nonnullos, qui ebullire faciunt, deinde seruant. SEN. Et hoc modo citò putrescere debet. BRASAVO. Citò: propterea in hunc modum fieri suaderem. Expresso succo per stamen bene coletur, deinde per densum linteum, postea Soli per XV. dies exponatur, deinde iterum percoletur, & in vitreum vas recondatur, oleo tamen suprà posito, & vasis ore optimè obturato. Itaque per annum, & etiam diutius perdurabit. Omnesq; succi modo parati colorem quendam subrubrum faciunt, colori granatorum similem, & viridem colorem, quem in principio habebant, amittunt. Rosarum verò succus vini speciem refert. Scito tamen aliquos succos esse, qui citius corrumpuntur, vt succus apii, fœniculi: alios qui tardius. SEN. Post annum, hi succi si seruentur, sintne boni? BRA. Eos nõ laudo, sed ipsis abiectis nouos para: nempe tractu temporis semper vires amittunt: imò si fieri posset, semper eis recentibus vti deberes. SEN. In hunc ordinem syruporum aperientium, & acetum recipientium, syrupus acetosus Diarhodon esse videtur. BRA.

Ne

Neſcio vnde hic ſyrupus nomen Diarhodon ſortiatur. SEN. A roſis, quę ipſum ingrediuntur. BRA. Eædem roſæ ſyrupum Biſantinum cum additione ingrediuntur, & tamen non appellatur Diarhodon. SEN. Verũ eſt, ſed roſæ non ingrediuntur Biſantinum ſine additione. BRA. Quid ad rem? Nulla ratio eſt, cur potius de roſis, quàm de endiuia vel fœniculo, vel apio nuncupetur, quæ in maiori copia hunc ſyrupum ingrediuntur. SEN. Quomodo igitur appellandus eſt? BRA. Voluerim potius, quod appellaretur ſyrupus acetoſus Diachylon. SENEX. Cur Diachylon? Derideremur, quia Diachylon ceroti genus eſt, non ſyrupus. BRA. Et tu hos ignaros deri debis, qui neſciunt chylon ſuccum ſignificare. Cum autem multi ſucci hunc ſyrupum ingrediãtur, conueniẽs eſt ipſum acetoſũ Diachylon, id eſt, de ſuccis appellare. SEN. Etiã Biſantinus ſuccos recipit. BRA. Verũ eſt: ſed nõ tot, & ille ſuũ nomen habet. Tamen Meſuẽ cõſiderãs, ſententiã muto: nã Meſue poſt hunc ſyrupum, aliũ ex puris ſuccis facit, quẽ acetoſum de ſuccis herbarum appellat. Ideo hunc potius diarhodon, quàm diachylon appellato. SENEX. Quomodo hoc fiet, ſi roſæ in minori copia ingrediuntur? BRASAVO. Cõueniẽs eſt de roſis appellari, qa nihil per ſe ſolum in maiori copia hunc ſyrupum ingredi

*Syrupus acetoſus diachylou.*

greditur, quàm rosæ. Si enim ipsum de endiuia nuncupabis, à te petam cur magis de apio non dicitur? quia tanta succi apii copia, quanta endiuię ingreditur. Eadem est ratio, si à fœniculo denominare volueris: sed nihil est in tota cõpositione, quod per se solum in maiori copia sit, quàm rosa, ideo à rosis denominatur, & ita etiam placuit authori. Nũc verò eius compositionem in medium afferas. SEN. Hæc est quæ sequitur:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe succi endiuiæ | } ana | lib. ij. | ʃ. |
| Apii | | | |
| Radicum fœniculi | } ana | vnc. | ij. |
| Apii | | | |
| Endiuiæ | | | |
| Rosarum | | vnc. | j. |
| Liquiritiæ | | vnc. | ʃ. |
| Spicæ | 3. | ij. | ʃ. |
| Anisi | } ana | 3. | vij. |
| Fœniculi | | | |
| Seminis apii | | | |

Proiice sup hæc aquæ dulcis libras sex, & decoque vsq; cõsumptionẽ duarũ partiũ, & cũ tribus libris zucchari & duabus aceti fiat syrupus. Sed dicas ad quos effectus valet? BR. Ad ingentes obstructiones, ad hydropẽ, ad antiquas febres & atrabilarias. SE. Easdẽ igitur vires cũ Bisantino habebit. BR. Nõ modo easdẽ, sed multò maiores. Ideo in ordine aperient

rientiũ Byzantiũ cum aceto etiã excedit. SE. Reperitúrne alius syrupus, secundũ hunc ordinem, qui hunc in aperiendo superet? BRA. De aliis suo loco dicemus, nunc autem id scito, illũ de succis herbarum, quem Mesue describit, hunc excedere, quem in vsum reduci voluerim, quum nunc non sit, tamen optimus est. Sed quomodo hunc acrem Diarhodon paras? SEN. Omnia simul misceo cum aqua, vt bulliant, & vsq; ad consumptionem duarum partium ebullire sino. BRAS. Quomodo intelligis duarum partium, ex tribus, an ex quatuor? SEN. Ex tribus. BRA. Bene sentis: quia si dixisset ad cõsumptioné triũ partium, opus esset intelligere ex quatuor: quia semp propinquior diuisio fieri debet, nisi ex pressa partium mentio & diuisionis facta sit. SEN. Post coctura exprimo, & in expressione zuccharũ & acetum pono, ebullire faciẽs, quousque ad syrupi formam redactus sit. BRA. Ponisne omnia simul eodem tempore vt bulliant? SEN. Pono. BRAS. Hoc agendum non est, sed rosæ, & spica seruanda, quæ tam longam decoctionem non patiuntur, quin vires amittant: & primò sunt rosæ, deinde spica in fine decoctionis addẽda. SEN. Ita deinceps agam. BRAS. Non ab re erit frigidiori vino labia abluere. SENEX. Vt lubet fiat. BRAS. Eia postquam os ablutum est, ad interm

termissum negotium reuertamur. SENEX.

*Syrupus de pomis.*

SYrupum de pomis post prædictos scripsimus. BRAS. Quem de pomis? SEN. Et simplicem, & eum, qui inscribitur Sabor. BR. Simplicem primò tractemus. SEN. A Mesue describitur, pro cordis tremore, & eius debilitate, ad confortandum, & quando syncopin patitur, & habet suspiria luctuosa. BRA. In omnibus ferè cordis affectibus, ab atra bile pendentibus conuenit. SEN. In hũc modum fieri docet Mesue:

REcipe pomorum dulciũ & acetosorũ, ana lib. v Coquatur hic succus, vsque ad consumptionem medietatis, & postea per duos dies dimittatur quousq; clarescat, deinde coletur, & cum tribus libris zuccharisiat syrupus. Hic est simplex syrupus de pomis. Mesue deinde sequentia verba addit: Sunt qui in succo setam tinctã in chermes submergãt, & hoc est ante depurationẽ succi, & per tantũ tẽporis ibi tenetur, quousq; rubeat, & recipiat virtutẽ tinctũræ: tũc enim excellentior est, & magis confortat. BRASA. Addisne tu setam tinctam in chermes? SENEX. Addo, & ita faciunt omnes pharmacopolæ. BRASAVOLVS. Verum est, sed magno errore. Nam seta in chermes tincta multùm aluminis recipit, & aliarum rerum cordi aduersantium. Ideo hæc seta addenda non est, vt etiam

vt etiam ſuperius in ſyrupo de corticibus citri docuimus. Ideo non eſt addenda eiuſmodi ſeta, præſertim quia à Meſue non additur: ſed aliquos addidiſſe refert. Si autem hanc ſetam imponere cupis, illam ita para, vt in ſyrupo de corticibus citri edocuimus. SEN. Potius dimittam. BRA. Dimittas, quoniam modicam, imò nullam ſpem habeo in ſeta, & in chermes. Dic autem, quæ poma ſumis pro parando ſucco? SENEX. Et dulcia & acida. BRASA. Quomodo vulgò appellantur hæc pomorum genera, quæ tu ſumis? SENEX. Nomina ignoro: ſed eo in forũ, & poma guſto, quæ illuc vendenda portantur: ſi dulcia ſint, pro dulcibus emo: ſi acria, pro acribus. BRA. Hoc minus malum eſt, quàm ea ſumere quæ ab Arabum imitatoribus ſumuntur: ea enim ſumunt, quæ ipſi muza, id eſt, medii ſaporis ſua lingua appellãt: ſed Meſue ex vtroque genere & acri & dulci ſumenda cenſet: nec immeritò, quia dulcia odorata ſunt, & corroborant, acria putredini aduerſantur. SEN. Quendã medicũ audiui, qui hunc ſyrupũ ex acidis pomis fieri debere profitebatur. BRA. Ego etiam audiui: ſed longe decipiebatur hic vir: nã ex acidis pomis factus ſyrupus aliam intentionem habet, vt ex Serapionis Antidotario ſumi poteſt, vbi ipſe hunc ſyrupum ex acidis malis factum deſcribit: nec

dicit

dicit passionibus cordis succurrere, sed ventriculum, atque ventrem roborare, & vomitum ex bile remouere, & sitim auferre, & eam sedare: nihil autē de corde ponit. Cordi verò odorata conueniunt, vt Galenus in libro de simplicium medicamentorum facultatibus docet. Imò Auicenna lib. v. sui canonis syrupum de pomis muzis, id est, medii saporis describens, non dicit valere cordi, sed ad debilitatem ventriculi, & pulsum oris ventriculi ex caliditate, & vomitum cholericum abscindit, & sitim. Nulla autem ratio est cur passionibus cordis non succurrat, nisi quia dulcia poma odorifera non sumit. quæ enim inodora sunt, vt acria poma, cordi non succurrūt, vel parum agūt, vt modicus est odor. Imò quia Mesue deinceps de syrupo acetoso de pomis tractabit, quē dicet cōfortare stomachū & cor, & sitim sedare. Si quādoq; illū parare volueris, poma dulcia & acria sumere debes: quia ratione dulcium odoratorum cordi succurrit, ratione acrium, ventriculo. Illi igitur aberrant, q̄ vel muza poma, id est medii saporis vel acria accipiunt: sed ob cor odorata poma & dulcia sumenda sunt, & acria per se. Imò suaderem vt maior copia dulcium, quàm acidorum sumatur. Nam & Paulus Aegineta, hydromalum facit ex pomorum succis, & poma dulcia tantùm recipit.

SENEX. Die tu, quæ poma sumenda sunt? BRASA. Multa genera dulcium pomorum sunt & acidorum: voluerim ego vt ex dulci & odorato fieret, qualia sunt ea poma, quæ nos piola quasi appia vocamus: & illa etiam quæ Rosa ob colorem, & fragrantiam nuncupamus: suaderemque vt pro acidis pomis ea sumerentur, quæ Musona vulgò dicimus, in mammarum formam oblonga & magna. SENEX. Sintne antiqui de hoc syrupo locuti? BRASA. De hoc præcise nunquam tractarunt, sed de facto ex pomorum succis. Nam Paulus Aegineta libro VII. capite XV. de hydromalo loquens, ex succo cydoniorum facit: postea in fine illius partis inquit esse nonnullos, qui hydromalon ex malis dulcibus similiter composuere. Est autem compositio antiqua talis: Malorũ concisorũ purorũ libras quinq; in aquæ fontis sextariis decẽ tantundem elixato, donec vnum corpus reddatur, postea refrigerato, & colato, & mala proiice expresso cremore: aquam verò metiens mellis quantitate dimidiam admisceto, & rursus assidue despumando, donec octaua pars euanescat decoque. SEN. Cur melle vsus est Paulus? BRASA. Quia antiquiores zuccharo carebant. SENEX. Nunc redit in mentem. BRASAVO. Erat & alter modus à prædicto, succi malorum dulcium

*Hydromalum.*

mun

mundorum contuſorum ſextarios duos coquito deſpumans vſq; ad tertias, omniaque vna vice ſimul miſta ſint. SEN. Quæ compoſitio tibi magis apta videtur, hæc Pauli, an illa Meſue? BRA. Antiquas compoſitiones nunquam deſpicere auderem: tamen, vt ingenuè ſuas laudes vnicuiq; tribuam, facto ambarũ periculo, Meſue compoſitio aptius ſuccedit: ſed & illa Pauli aptior venit, ſi loco mellis zuccharũ acceperit. Vnde ſi hãc Pauli menſurã ſequaris, & ex zuccharo parabis, aptioré ſyrupũ inuenies. Ob hæc autem ſuadeo vt in ſyrupo de pomis Meſue maior pars ſit dulcium & odoratorum pomorum, minor acrium. Appellatur autem ſyrupus de pomis ſimplex, ad illius differentiam, qui Sabor dicitur. eſt enim ſi compoſitus, tamen cum ſimpliciter ſyrupus de pomis ordinatur, abſque aliquo addito, hic intelligendus eſt: ille autem, qui Sabor dicitur, nunquã, niſi per eius nomen exprimatur, intelligitur. Verùm quia differentiam video inter pharmacopolas in componendo hũc ſyrupum Sabor: propterea dic tu quem paras, vt eius compoſitionem iuſto examine perpendere poſsimus. SEN. Illum paro, qui à Meſue in cura maniæ & melancholiæ ſanguineæ deſcribitur, vbi inquit: Sabor rex Medorũ ſyrupus conferens maniæ & melancholiæ ex aduſtione cho-

*Syrupus de pomis Sabor.*

leræ,cuius deſcriptio ſubſequens eſt:

Recipe ſucci bugloſſæ domeſticæ } an.li.ij.
Syluestris }

Succi pomorũ dulciũ redolentinm lib. iiij.
Folliculorum ſenæ vnc. iiij.
Croci 3. ij.
Zucchari tabarzeth. lib. iij.

Fiat autem ſic:Sena proiiciatur in ſuccos per diem & noctem, poſt contritionem eius:deinde bulliant ebullitionevna,aut duabus:deinde cum zuccharo fiat ſyrupus : Crocus autem cõfricetur in panno in eius decoctione. Hactenus Meſue. B R. Hic eſt verè ſyrupus Sabor:ſed nõnulli pharmacopolę Ferrarię pro hoc Sabor decepti aliũ faciunt,in quo & poma ingrediuntur. S EN. Eum edoceas (ni tibi moleſtum ſit.)B R A S A. Ille eſt, quem Meſue in capitulo de Soda frigida ab humore melancholico deſcribit. Eſt autem ſyrupus Meſui Iuhe, qui multùm valet in quartana & omni ægritudine melancholica,& oppilatione ſplenis:vnde non multùm differt ab illo Sabor in intentione,ſed bene in compoſitione. Decipiuntur autem putantes eſſe ſyrupum Sabor,quia principiũ illius capitis incipit, Sabor heben Girges. S E. Quæ eſt huius ſyrupi deſcriptio?B R. Si placet referam. S E. Placet. B R A. Hæc eſt quæ ſubſequitur:

Recipe capillorum Veneris

Ra

| | | | |
|---|---|---|---|
| Radicum Bugloſſæ domeſticæ | | | |
| Sylueſtris | | | |
| Florum earundem | ana | | vnc. j. |
| Polypodii | | | |
| Epithymi | | | |
| Foliorum Senæ | | | |
| Chamomillæ | ana | 3. | vij. |
| Stichados | | | |
| Chamædryos | | | |
| Schœnanchi | an. | 3. | iij. |
| Hellebori nigri | | | |
| Fumi terræ | | 3. | vij. |
| Eupatorii | | 3. | iiij. |

Succi pomorũ dulcium. Contextus cõmuniter legunt 3. viij. Sed legi debet vnc. viij. Itaq; legit contextus meus antiquus, omnia præter epithymum, & ſuccum pomorum. In libris tribus aquæ bulliant, vſq; ad duas: dein de epithymus in eo bulliat ebullitione vna, & coletur, & cum ſucco pomorum, & duabus libris zucchari fiat ſyrupus. SEN. Hic ſyrupus certè laudabilis eſt. BRA. Tamen præſcriptum Sabor nuncupatum facere debes, qui in roborando corde plurimùm valet, præſertim cùm atra bile afficitur. SE. Quam zucchari quantitatem in ſyrupo de pomis ſabor ponere oportet? BRASAV. Diuerſæ deſcriptiones diuerſa pondera habent: in ſumma autem zucchari ſit libræ tres, vt ſu-

periùs annotasti, & crocus 3.ij. Ideò semper eodem modo facito. nam compositio exquisita euadet. Dic autem, quod à Mesue in fine additur, Crocus autem confricetur in panno in eius decoctione, quomodo hoc intelligis? SEN. Nos crocum in lineum pannum ligamus rarum, & ebullire facimus. BRAS. Optimè agis, sed opus est lineum pannum, in quo est, fricare, vt crocus simul cõfricetur, & subtilior pars exeat, crassior autem abiiciatur: imò si actu subtilissimè pulverizatus esset, in decoctionem ponere non vererer, vt non solùm vires, sed & ipsemet actu ingrederetur. Nunc ad alios syruposaccedamus.

SENEX.

*Syrupus de agresta.*

SYrupus de agresta accedit. BRA. Præstãs est, atque optimus in magnis æstibus ad leuandam sitim, & inflammationes tollẽdas, dandusque est non solùm ægris, imò & sitientibus sanis: inflammationi ventriculi plurimùm valet, & quando bile plenus est, & in biliosis febribus, & in vomitu ex bile: valet etiã ad vomitum prægnantium, & ad earundem vẽtriculos, qui superfluitates facilè recipiũt: valet & ad malatiam prægnantiũ, quam Græci κίτ]αμ vel κίσσαμ, nos picam dicimus. Venenis etiam obstat, propterea mirus syrupus est, qui etiam in crassiusculis materiebus ob incisionẽ exhiberi potest: sed dic, quomodo illum

illum paras? SEN. Eodem modo, quo syrupũ de acetositate citri. Nam accipio succi vuæ omphacinæ libras xij. & in vitreato vase ad consumptionem tertiæ partis super prunas, igne lento, & cum facilitate decoquo: postea percolo, & dimitto, quoad clarificetur, & ex eo quod clarũ est libras vij. accipio: & libras quinque iuleb clarificati & depurati addo, id est, zucchari clarificati libras quinque, & coquatur donec inspissetur. Si verò æstas fuerit, dimittatur in sole, donec eius aquositas consumetur. BRA. Fieri non potest, nisi in æstate, quia hoc tempore solùm & vinum omphacinum, & vua omphacina habétur. SEN. Imò illo modo fiet. BRAS. Eodem præcise modo paras, vt ille de acetositate citri paratur. SE. Ita est, sed miror, quòd apud antiquos hic syrupus non inueniatur. BRA. Imò inuenitur, sed (vt diximus) zuccharum non habebant, propterea ex melle cõfecere. Paulus lib. VII. cap. XV. de Omphacomeli tractat. Est autem compositino ex vino omphacio & melle cõfecta, secundum mensuram ferè à te citatam. Quippe in mensura parum differunt. SEN. Quomodo facit suũ omphacomeli Paulus? BRAS. Audies, inquit: Accipe succi omphaciæ, id est, vuæ immaturæ, sextarios tres, mellis sextarium vnum, & per XL. dies Soli exponatur, aut igne decoquatur. SEN. Certe par-

*Omphacomeli.*

ua differentia est inter vtrosque, nisi in positione mellis & zucchari, in mensura autem rerum parua est. Numerat autem Paulus dies expositionis ad solē, quia à Mesue nō numerā-tur, & revera numerari non possunt: quia in aliqua æstate magis ęstuans sol plus cōsumit, quàm in alia, in qua sol non ita æstuabit, ideò aquositas citius vna æstate, quàm alia consumitur. SENEX. Nos semper igne lento paramus. BRAS. Ita etiam conuenit, sed Solis calor magis vniformis est, ideò antiqui, vt plurimùm Soli exponentes parabant, quanuis nonnunquam ad ignem coquerent, præsertim cùm æstiuum tempus pluuiosum erat: quod tamen rarò accidit. Ideò mihi magis placet quòd tempus expositionis ad solem prę-fixum non sit, sed tandiu insoletur, quandiu aquositas exiccetur. Tria autem à te scire cupio. Primum est, quam vuam omphaciam accipias. Secundum, quo tempore colligas. Tertium, an illico exprimas. SEN. His tribus tibi satisfactum iri conabimur. De vua omphacia respondemus nos electionem non habere, sed eam agrestam sumere, quæ præsentatur. BRA. Hoc non conuenit, sed id omphacium sumere oportet, cuius matura vua qualitates, quæ syrupo attribuuntur, magis habet. Propterea sumendum est omphacium albæ vuæ, quam nos vulgò albanam vocamus.

SEN.

SEN. Ita deinceps faciam: colligimus autem in menſe Iuliio. BRA. In principio, an in fine? SEN. In fine. BRAS. In Iulii menſis medio colligenda eſt, antequam ſit initium maturitatis, & cum iam habet ſuccũ: in hoc enim medium ſeruare oportet, ne defloreſcentiæ multùm propinqua ſit, vel maturitati. SEN. Hoc non obſeruabamus. Omphacinam vuam verò à vite demptam per duos dies ſeruamus, poſtea exprimimus. BRAS. Et hoc agendum erat, vt ſuperflua quædam humiditas reſolueretur. SEN. Neſcio autem an cum caryophyllis condire debeam. BRA. Ego cum nulla re condirem: vidi & qui cum myrobalanis condirent, tamen ſuaderem, vt ſimpliciter fieret, quanuis & Auicenna in v. lib. ſui canonis duas caryophyllorum drachmas ſimul miſceat, & ſine zuccharo faciat: vel ſi tu dulcorare volueris, zuccharum addas. Quem ſyrupum etiam deſcribit Serapio, ſed nos meſuen imitamur, vtpote eum, qui ſyrupum paret omphacomeli antiquorũ propinquiſsimũ. Quomodo autem omphacina vua exprimi debeat, omnibus etiam mulierculis notũ eſt.

SENEX.

DE hoc ſatis dictum arbitror. Ad ſyrupũ de fumo terræ veniamus. BRAS. Cùm duo ſint de fumo terræ ſyrupi, maior & minor, vtroſquéne paratis, an vnũ ſolũ? SE. Vnũ,

*Syrupus de fumo terræ.*

maiorem scilicet. BRAS. Nec immeritò, quia is obstructiones ventriculi, & hepatis magis aperit, & hæc membra magis roborat, & cutis morbos sanat, à salsis & adustis humoribus dependétes, quales scabies, impetigo, serpigo, lepra, morbus Gallicus, ita nunc appellatus, quàm ille, qui de fumo terræ minor est. Nunc eius descriptionem assigna. SEN. Hæc est quę sequitur, à Mesue ad verbum accepta:

Recipe Myrobalanorum
Citrinorum, Chebulorum } añ. nu. xx.

Florum boraginis vel buglossæ
Violarum
Absinthii
Cuscutæ } añ. vnc. j.

Liquiritiæ
Rosarum } añ. vnc. ß.

Epithymi
Polypodii } añ. 3. vij.

Prunorũ nu. c. Passularũ enucleatarũ ℔. ß.

Tamarindorum
Casiæ fistulæ } añ. vnc. ij.

Hæc omnia bulliant in ℔. x. aquæ, quousque perueniant ad libras tres, & cum succi fumi terræ cocti & depurati, & zucchari ana ℔. iij. Fiat syrupus decoquẽdo quousq; eius formã acquisiuerit. BR. In hoc syrupo præparãdo ordinẽ simpliciũ ingredientiũ potissimũ cõsiderare oportet, ratione ebullitionis, quoniã aliqua

aliqua maiorem, aliqua minorem decoctionem patiuntur. SEN. Nos omnia simul vna vice miscemus, & ebullire facimus. BRA. Error grauissimus est. SEN. Tu ergo ordinem edoceas. BRA. Libenter id faciam. Primo polypodium ingredi debet: deinde pruna, passulæ, glycyrrhiza, absinthiũ, postea rosæ, cuscuta, flores boraginis, post hęc violæ, myrobalani, deinde epithymus, denique casia & tamarindi. Quæ secundum aliquos ebullire non debent, quoniam vim raram & debilem nacta sunt. Mihi autem magis placet, quòd in fine iniiciãtur, & vna vel altera ebullitione bulliant, vt cum aliis commodius vniantur, sicut Mesue in capite decoctionis docet. Et si dixeris lenitiua bulliendo humiditatem amittere: Respondemus amittere quidé humiditatem accidentalem, nõ tamen naturalem. Si igitur hunc syrupum parare volueris, hunc ordinem serua, qui subsequitur: Facta decoctione, zuccharum aqua fontis clarifica, quo decocto & clarificato, fumi terræ succum adde cùm ad coctura syrupi peruenerit: prædicta autem decoctio pluribus vicibus paulatim addatur, quoad perfectam coctionem habuerit, & hoc modo decoctionis vis non resoluitur: denique tamarindi, & casia iniiciantur, & decoctio in finem ducatur. SEN. Deinceps ita agam: sed quosdã audiui,

qui

qui hunc ſyrupum roſas recipere negant,& vbi legitur Ros,ipſi exponunt raſæ, vt ita ſequatur glycyrrhizæ raſæ. BRA. Hi longè decipiuntur,tum quia in antiquis Meſuæ codicibus legitur roſæ,tum quia dicit anavnciam ſemis.Si autem hæc particula roſæ abeſſet, legeretur liquiritiæ raſæ,ana vnciã ſemis,quod abſurdum eſt:nam hæc particula ana de vna re ſola dici non poteſt. Denique roſæ in hac cõpoſitione multùm proficiunt,cùm ob alia multa,tum ad roborandum:ſcitoque boraginis flores ſumẽdos eſſe. Interpres addidit bugloſſæ:ſed de omnibus ſimplicibus hic poſitis in ſimplicium examine abũdè egimus.Hic autem ſyrupus vim compreſsiuã,ſolutiuam, & lenitiuam habet, ratione diuerſarũ rerum ingredientium. SEN. Has res enarra, & ſtatim alium ſyrupum in mediũ afferam. BRA. Libenter hoc faciam.Ob myrobalanos,tamarindos,& pruna comprimit. SEN. Quomodo ob pruna comprimit? BRA. Quia pruna ſumuntur,quæ acidum ſaporem habent,tamen laudarẽ potius, vt dulcia pruna, qualia Damaſcena & Iberica, id eſt,quæ vulgò Cathalaunica nũcupantur:quia illa atræ bilí magis aduerſantur, quàm quæ vulgò ſumũtur,& à menſe à quo maturantur,& colliguntur, auguſtana appellantur. SEN. Debéntne ſumi viridia pruna, an arida? BRAS. Si viridia haberi

beri posſint, viridia ſumantur, quia magis leniunt: ſi autem viridia non habeātur, quando hoc ſyrupo indiges, ſicca accipito, quia & exiccata leniunt. Ad rem noſtram redeuntes, ob epithymum, polypodium, abſinthium, & terræ fumum ſoluit. Ob caſiam lenit, & tamarindos, & addo pruna, ſi dulcia ſint. SEN. Quæ quantitas huius ſyrupi ventrem ſoluere apta eſt? BRA. Si recenter factus ſit, quatuor vnciæ ſoluunt, moderatè tamen: ſi non ita recens ſit, & in duriori aluo, ſex exigūtur.

SENEX.

QVid impedit nunc ſyrupum de abſinthio cōſiderare? BRA. Duæ deſcriptiones à Meſue fiunt: vtram vos paratis? SEN. Primam. BRA. Eius deſcriptionem propone. SEN. Hæc eſt ad verbum ferè quæ ſubſequitur: *Syrupus de abſinthio.*

| | | |
|---|---|---|
| Recipe abſinthii Romani | ℔. | ß. |
| Foliorum roſarum | vnc. | ij. |
| Spicæ | 3. | iij. |
| Vini albi antiqui boni & odoriferi<br>Succi cotoneorum | } añ. | ℔. ij. ß. |

Dimittatur per diem & noctem in vaſe lapideo, deinde coquatur cum facilitate vſque ad medietatem, & cum mellis ℔.ij. fiat ſyrupus expertus & nobilis. Hæc Meſue. BRA. Syrupus eſt multis nominibus dignus, quippe vētricul

triculum roborat,& prociduo appetitui conuenit,ventriculo debiliori succurrit,& quando intestina mollia sunt, ipsis prodest,hepatis debilitatem remouet, præsertim quando hæc à causa frigida prouenerint: imò & in causis calidis conuenit,si nonnullis frigidis corrigatur:sed per vas lapideũ, quid intelligis? SEN.Nos vitreatum vas accipimus ex argilla cocta confectum.BRA.Quanuis de hac re multa cura non sit, tamen per lapideũ vas marmoreum potius accipere oportet, quàm lateritium,aut figulino opere factum: quippe nomine lapidis apud antiquiores figulina non veniunt: sed ea solùm, quæ in montibus prodeunt.SEN. In hoc syrupo rosæ,spica, & ea quæ modicam decoctionem patiũtur,quo ordine poni debent, quia ante decoctionem omnia simul infusa sunt?BRA. Scito,& sit tibi alta mente repostum, quando infusio per aliquod temporis spatium decoctionẽ præcedit, tunc omnia simul infundantur. Illa verò quæ modicam decoctionem patiuntur,suam vim exhibẽt rebus infusis, & ita in decoctione vis horum seruatur. quod non fieret si primò infusa nõ fuissent, sed ab ebullitione incœpissent.Cùm enim bulliunt, & nõ præcedit infusio,tunc ordo seruãdus est,vt quę maiorem decoctionem patiuntur, primò iniiciantur: deinde quæ minorem:denique quæ

mini

minimam. Dic verò, parásne hunc syrupum ex melle, vel zuccharo? SEN. Ex zuccharo quandoque paraui, sed nunc melle vtor. BR. Non inficior ex zuccharo fieri posse, sed & author ex melle facit, & res ipsa exigit: eo enim in materiebus frigidis solùm vtimur. Si autem materia calida sit, frigidis temperamus. Sed dicas cur alium syrupũ de absinthio non paratis, qui à Mesue fit, & simplex est? SEN. Quia in vsu non est. BRA. Ego quandoque eo vterer, quia in aliqua hepatis affectione solo absinthio indigeo, & non aliis rebus, tunc hoc syrupo vterer. SEN. Deinceps in tui gratiam parabo. BRA. Imò in ægrorũ gratiam, quibus conueniet, & ego ipsum syrupum de absinthio simplicem appellabo.

SENEX.

*Syrupus de mentha.*

SYrupus de mentha succedit. BRA. In syrupo de absinthio erãt duo syrupi, quorum primus erat in vsu, secundus nõ est. Contrarium est in syrupo de mentha. Duo etiam à Mesue scribuntur: sed secundus in vsu est, primus autem nõ est. Et hoc meritò, quia secundum inuenit Mesue, & probauit, & primò excellentem esse nõ modò ipse dicit, sed quotidiana experientia comprobatur. Est autem optimus ad ventriculum, cùm frigiditate pecauerit, & vomitus ac nauseas sanat: singultus remouet, atque fluxus vẽtris à causa frigida.

da. In calida etiam ventriculum roborat: nam ad hoc agendum egregius est, sed eius descriptionem afferas. SENEX. Hæc est quæ sequitur:

Recipe succi cydoniorum muzorum Dulcium
Succi granatorum acetosorum Dulcium Muzorum } añ. ℔. j. ß.

Supra hos succos iniice mẽthæ siccæ ℔. j. ß.
Foliorum rosarum. 3. ij.

Et dimittantur per diem & noctem, deinde coquatur cum facilitate vsque ad medium, & cum mellis vel zuccari ℔. ij. fiat syrupus, & aromatizetur cum galla. Hæc Mesue. BRA. Cur menthã siccã accipitis? SEN. Non accipimus siccam penitus: sed quæ passa fuerit, vtpote quæ humiditatem quandam superficialem amiserit. BRA. Et eo modo sumenda est. In hoc quoque syrupo, in his quæ decoquuntur, ordo nõ ponitur, quia omnia simul per diem & noctem infunduntur. Scitoque cùm apud hunc authorem inuenies per diem & noctem, intellige viginti quatuor horas: cùm autem per diem, aut per noctem, intelligeduodecim horas. Sed dic, ponísne tu gallã vt redoleat: quod vos aromatizare nũcupatis?

tis? SE. Vt ingenuè verum fatear, non pono. BR. Multi pharmacopolæ, & Ferrariæ, & in & in tota Italia te sequũtur. Sunt tamẽ & aliqui Ferrariæ, qui redolere faciũt, & qui gallam moschatam Mesuę semper paratam habent. SE. Ego deinceps parabo, ne quicquam vel necessarium mihi desit. BR. Rectè quidẽ ages. SEN. Raræ sunt cõpositiones quæ mentham recipiant, & sicca esse non debeat. BR. Hoc non mirum, quia viridis flatus excitat, qui ventriculum conturbant & lædunt: sicca autem vim flatuosam amittit: sed exquisitè sicca non fit, vt superius tu ipse aduertisti. Vnum autẽ obiter annotare volo. In aliquibus pharmacorum descriptionibus legi mentha humidæ: tunc sola viridis mentha intelligenda non est, sed & ea quæ in pingui & humido solo viruerit. SEN. Hoc mihi summè placet à te annotatũ esse. BR. Hoc tibi addã, quando absolutè in aliqua cõpositione mentha ponitur sine aliqua additione siccæ, vel viridis, siccam semper intelligere oportet. Idẽ iudiciũ est de hyssopo, & pluribus aliis, quæ suo loco dicemus. Sed vnum est, quod in hoc syrupo perpendendum est, succos esse libras septem & semis, puluerem mẽthæ esse ℔. vnam & semis, vel menthã ipsam, quæ imbibet ferè totam succorum quãtitatem. Ideò non poterit ebullire vsque ad medium, pro-

pterea vel ſucci augendi, vel mentha ſicca eſſe non debet, ne ſuccos imbibat.

SENEX.

*Syrupus de epithymo.*

SYrupus de epithymo, poſt illum de mentha ſcriptus eſt. BRA. Ego hoc vtor, magno etiam præſidio in ſcabie Gallica, in cancris, in area, in ſcabie, in occultis vulneribus, quæ cauernoſa, ſinuoſa, & fiſtuloſa ſunt, in lepra, & in vniuerſam in omni morbo ex atra bile aduſta facto, & ſimplici atra bile aduſta: qui ſi in copia ſumeretur, egregiè euacuaret. SEN. Quanta eſt hæc copia? BRA. Quatuor vnciæ vſque ad ſex. SEN. Eodem modo ſoluit & ſyrupus de fumo terræ. BRA. Ille de fumo terræ minus ſoluit. SEN. Eſt igitur hic ſyrupus ſolutiuus? BR. Solutiuus quidem, quia ſoluit, ſed etiam digerit: propter hoc, quãdo opus eſt, ipſum libenter exhibeo, quia ſimul & ſoluit, & digerit: quod etiam infuſionem ſenæ facere deprehendimus. SEN. Quæ differẽtia eſt inter hunc ſyrupũ, & illum de fumo terræ? BR. Ille de fumo terræ minus calidus eſt, & hic de epithymo magis. Propterea in materiebus calidioribꝰ eo de fumo terræ vti debemus: in minus calidis, illo de epithymo: qui tamen inter ſe plurimũ cõueniunt. Cùm igitur aduſtos humores bilioſos eſſe video, ſyrupo de fumo terræ vtor. Si autem atrabilarii, aut pituitoſi fuerint, ſyrupo de epithymo

mo vtor. Nunc autem eius descriptionẽ considéremus. SEN. Hæc est quæ subsequitur à Mesue ad verbum accepta:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe epithymi boni hortensis | | 3. | xx. |
| Myrobalanorum citrinorum | añ. | 3. | xv. |
| Indorum | | | |
| Cuscutæ | añ. | 3. | x. |
| Fumi terræ | | | |
| Thymi | añ. | 3. | vj. |
| Calamenthi | | | |
| Bugloſſæ | | | |
| Emblici | | | |
| Bellerici | | | |
| Liquiritiæ | | | |
| Polypodii | | | |
| Agarici | | | |
| Stœchados | | | |
| Roſarum | añ. | 3. ij. | ß. |
| Seminis fœniculi | | | |
| Aniſi | | | |
| Prunorum | | num. | xx. |
| Paſſularum enucleatarum | | vnc. | iiij. |
| Tamarindorum | | vnc. ij. | ß. |
| Zucchari | | ℔. | iiij. |
| Rob, id eſt, ſapæ | | ℔. | ij. |

Fiat ſyrupus. Hæc Mesue. B R. In hoc ſyrupo ambiguitas non mediocris eſt de ebullitione ſimplicium, in quanta aquæ quãtitate ebulliri debeant: equidem putare non oportet,

Mesuē in duabus libris Rob ebullire voluisse, quia fieri non posset. SEN. Primò in aqua ebullimus, & exprimimus: deinde Rob addimus. BRA. Sed quantam aquæ quantitatem sumis? nam à Mesue nō exprimitur. SENEX. Sine pondere accipimus, vt nobis videtur, & omnia simplicia in tantā aquæ quantitatem infundimus, quāta sufficit, vt aqua simplicibus superemineat: itaque per diem dimittimus, postea decoquimus, & exprimimus. BRA. Ergo prius infunditis? tamen à Mesue non dicitur infundi debere. SEN. Ita semper facimus. BRAS. Et ita semper erratis: quia sine ordine ponitis quæ maiorē decoctionem patiuntur, & quæ minorem, & quæ ferè nullam, vbi ordo seruādus est. SEN. Modum igitur, quo operari debeam in hoc syrupo edoceas, ne deinceps errem. BRA. Faciam si aures accommodabis. SEN. Iam accommodatas habes. BRA. Credendum est hic, Mesuen, & aquam, & aquæ quantitatem omisisse, quia supponit sumendā esse, & posse sumi ex aliquo superiori syrupo. Inter prædictos autem syrupos ille de fumo terræ maior huic magis affinis est, quàm aliquis alter, & hoc non solùm viribus, sed & compositione. Ideò ex illo per similitudinem aquæ quantitatem sumendam puto. Sint ergo libræ decem aquæ, in qua fiat decoctio, adeò vt tres libræ remaneant.

neant. Ordo autem rerum, quę ingrediũtur, hic ſit, vt primò polypodium & agaricũ ponantur, deinde pruna, paſſulæ, glycyrrhiza, fœniculi, aniſa, ſtœchas, fumus terræ ingrediantur: poſtea roſæ, cuſcuta, bugloſſa. Inde myrobalani abſque nucleis: denique epithymus. In vna autem decoctionis parte tamarindi diſſoluantur, & zuccharum cum Rob poſitum bulliant, & cùm fuerit ad ſpiſſitudinem mellis, decoctio paulatim addatur, & in fine iniiciãtur tamarindi in illa decoctionis parte diſſoluti, & vna vel duabus ebullitionibus bulliant ad ſpiſſitudinem ſyrupi: nempe tamarindi parum bullire debẽt. SE. Quid intelligis per vnam vel per duas ebullitiones? BRAS. Tibi nunc aperiam: puto autem te ſcire cur ſimplicia ebulliamus. SEN. Nec iſtud perfectè ſcio. BRA. Per ebullitionem, ſimplicium vires excitantur}, & melius in liquorem, in quo decoquuntur, ſuas vires imprimunt. Appellatur autem vna ebullitio, cùm ebullire incipit, quouſque ſimplicia ſurſum & deorſum ſemel reuoluantur. Cùm verò bis, duæ ebullitiones ſunt. Vnde cùm tamarindos iniicis, tali hora iniicito quòd vna vice agitando, aut ad ſummum duabus ſyrupus decoctus ſit. SEN. Meſue dicit hunc ſyrupum valere ad Saphati: per hoc vocabulum quid intelligere oportet? BRASA. Id

quod Græci dicunt ἀχῶρας. Vides igitur eos qui dicunt quindecim libras aquæ sumendas errare. SE. Cur hortensem epithymum accipit? BRA. Quia sylueſtris & montanus nimis ſicci ſunt. Sed non quærimus tantam ſiccitatem, quia materiebus aduſtis aduerſari debet.

SENEX.

*Syrupus de eupatorio.*

IGitur ſyrupum de eupatorio examinare incipiemus. BR. Si eius deſcriptionē proponeſ, de illo ſtatim loquemur. SEN. Meſue in hunc modum habet:

Recipe radicum Apii
Fœniculi } añ. vnc. ij.
Endiuiæ

Liquiritiæ
Squinanti
Cuſcutæ } ana 3. vj.
Abſinthii
Roſarum

Capillorum Veneris
Bedenguar
Suchaha
Florū bugloſſæ, aut radicū eius } an. 3. v.
Aniſorum
Fœniculorum
Eupatorii

Raued
Maſtiches } ana 3. iij.

Spicæ

Spicæ
Assari } ana 3. ij.
Folii

Coque in libras octo aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & cum libr. quatuor zucchari fiat syrupus, cum succi apii, & endiuiæ quantitate sufficiẽti. Hæc Mesue. BRA. Syrupum excellentem quidem proposuisti: sed talem, qualem nos facturos nõ credo, est enim optimus syrupus in lõgis febribus, præsertim cùm vires concoctrices, & iecoris, & ventriculi corruptę sunt, & ad hydropẽ præparantur. Valetq; ad κακοξίαν, id est, malum habitum, & ad cacoëthe. Si etiam in vẽtriculo & iecore flatus sit, eo dissoluitur. Si hæc membra valde frigida sint, & ferè debilitate confecta, hoc syrupo reficiuntur. Ad tensionem hypochõdriorũ valet, & ad dolorem eorundem, & ad cõfirmatum iam hydropẽ. Equidẽ dignus est multis nominibus syrupus, sed adeò difficilis factu vt an fieri possit plurimũ dubitem, ob simplicium, quæ ingrediuntur difficultatem. SEN. Si omnia simplicia haberentur, quo ordine incederes? BRAS. Ordinem continuò seruãdum sequerer, vt primò quæ maiorem decoctionem sustinẽt, iniician tur: deinde, quæ minorem: deniq; quæ minimam. SEN. Modum enarra. BRA. Primò radices apii, endiuiæ, bedeguar, & suchahs

ingrediantur. Secundò anisi semen, & fœniculi. Tertiò squinantum. Quartò absinthiũ & eupatorium. Quintò mastiche. Sextò assarum. Septimò spica. Octauò cuscuta & flores buglossę, & capilli Veneris. Nonò raued, & hoc sit in fine decoctionis, quoniã hoc per viam infusionis potius, quàm per viam decoctionis poni debet, vt magis operetur. SEN. Tuum ordinẽ iam accepi, sed mirum est cur hic syrupus de Eupatorio dicatur, cùm minimam portionem eupatorii recipiat. BRA. Verum dicis, tamen quia omnia alia simplicia alios syrupos ingrediuntur, ab eupatorio denominationem accepit, tanquam ab eo quod syruporum compositiones rarò ingreditur. SEN. Quæ sunt illa, quæ in hoc syrupo parando tibi difficultatem pariunt? BRA. Ab eo quod syrupo nomen dat, incipiam, Eupatorio, inquam. Quid pro eupatorio sumis? SE. Eupatorium vulgare non accipio, sed id accipio, quod vulgo agrimonium nuncupatur. BR. Equidem in omnibus antiquorum cõpositionibus, quas Eupatorium ingreditur, si ex antiquis sumptæ sint, agrimonium vulgare accipere conuenit, & tu id agens optimè facis: quia (vt in examine simplicium latè patet) eupatoriũ antiquorũ, est nostrum vulgare agrimonium. Tamen vb Mesue eupatoriũ ponit, dubito an agrimo

nium

nium ſumere debeas, quia Meſue eupatoriũ ab antiquorum eupatorio diuerſum eſſe videtur. In Meſuæ autẽ compoſitionibus, Meſuæ ſimplicibus vtor: Sed eupatoriũ Meſuæ vulgare eupatorium, & nó agrimonium eſſe videtur. SEN. Errabam igitur in hac compoſitione agrimonium ſumens, ſed cum viris ſummis errabam. BRA. Tuo arbitratu errare poteras. nam agrimoniũ vulgare, quod eſt antiquorum, & Dioſcoridis eupatorium, iocinerosis quidem valet: ſed illis paſsionibus valere non videtur, quibus Meſuę Eupatoriũ ſuccurrit. SE. Ego igitur in hac re ſum anceps. BRA. Et nos te hoc faſce leuabimus. Non deſunt medici, qui Meſuæ eupatorium aliud eſſe ab antiquorum eupatorio iudicarint. Tibi autẽ dicimus, ſi pro eupatorio aut Meſuæ aut antiquorum vulgare agrimoniũ ſumes, nunquam errabis, quoniam & Meſuę eupatoriũ eſt noſtrũ vulgare agrimonium, ſi eius deſcriptionem conſideres. Illiſque decipiuntur, qui Meſuę eupatoriũ, vulgare eupatorium eſſe iudicarunt: nam Meſue cum Dioſcoride in eupatorio conuenit. Conſtat autem Dioſcoridis eupatorium, Meſuæ eupatorium eſſe: quippe Meſue dicit, eſt herba longitudinis cubiti: Dioſcorides autem eſſe herbam cubitalem, & aliquantò ampliorem ſcribit. Addit Meſue, multæ amaritudinis,

*Eupatoriũ Meſuæ.*

quod non ponit Dioſcorides. Addit etiam Meſue, cuius folia ſunt ſicut centaureæ minoris viridia. Nec iſtud ponit Dioſcorides, tamen verum eſt. Quæ autem à Meſue dicuntur de eius foliis, quòd ſunt aſpera, inciſa, & ſtipes eius eſt ſubtilis, hæc à Dioſcoride annotãtur: etenim dicit folio per interualla inciſo. prius autem dixerat hirſuto: quod eſt eſſe aſperum. Dixerat etiam tenuis ſcapi, vt non videatur dubitandum, Meſuen Dioſcoridis eupatorium, quod eſt agrimoniũ vulgare, voluiſſe deſcribere, ſed id quàm barbarè fecit. SEN. Igitur conueniens fuit agrimonium accipere. BRA. Et conueniens fuit, & erit, ſi illud ſemper accipies. SE. Vehementer turbabar ſi alia herba erat, & nemini credere incipiebam. BR. Eſto igitur bono animo, & reliqua proſequamur. In fine ſyrupi dicitur, & cum ſucci apii, & endiuiæ quantitate ſufficienti fiat ſyrupus. quantam ſuccorum quantitatem accipis? SENEX. Ego ſine pondere accipio: poteſt autem eſſe cuiuſlibet ſucci libra vna. BRAS. Ita etiam alii pharmacopolæ faciunt: ſed (vt oſtendemus) errant. nam tibi demonſtrare potero determinatam quantitatem ſumendam eſſe. SEN. Tibi plurimum debebo. nam omnes ferè ſine ordine, & ſine pondere ſuccum iniiciunt. BRAS. Audies igitur. Cùm Meſue dicit ſuc-

cos

cos ponendos esse quantitate sufficienti, cre dendum est, aliquo loco hanc quantitatẽ indicasse. Ideo locum quærere oportet, vbi suc corum quantitatem, quando in fine cum zuc charo ponuntur, edocuerit. Si autem consi derabis syrupum de fumo terræ maiorem, inde regulam accipiendorum succorum accipi posse cognosces. Nam eo loco tantam quantitatem succi depurati accipit, quantam zuc chari. Ideo & hoc loco tãta quantitas succorũ depuratorũ accipienda est, quanta zuccha ri. Ideo illi errant, qui volunt hic accipi tres li bras succorũ, quia & ibi tres libræ succorum accipiũtur: nam illic tres libræ zucchari sumũtur: ideo & tres libræ succorum accipiun tur. Verùm cùm hic quatuor libræ zucchari accipiantur, etiam quatuor libræ succorum recipi debẽt. Hi autem errãt qui volunt qua tuor libras vtrorũq; accipere. nam pro quoli bet succo tantum duas libras sumere opor tet, vt duæ libræ succi apii, & duæ libræ succi endiuiæ sumantur: quatuor enim libræ vniuscuiusq; zuccharum nimis superant: quod Mesue in suis cõpositionibus facere nõ cõsue uit. SEN. Certè hæc est conueniens regula. Accipiam igitur depuratum succum, & si mul cum zuccharo clarificato decoctionem paulatim addens ebullire faciam. BRASA. Semper ita agendum est, præsertim vbi per

decoct

decoctionem fiunt, & non præcedit infusio. Sed aliud quoque me angit, folium hãc compositionem ingredi, tamen non habetur: vos autẽ, illius loco quid ponitis? SEN. Ego semper vsus sum duplum spicæ pro folio ponere. BRA. Vtinam veram nardum haberes, sed duo à Paulo Aegineta pro malabathro, id est, folio in eius defectu sumi possunt. Vnum est, Indica nardus à vobis spica nuncupata: sed nardus nostra ex India non affertur. Aliud est, casia, quam nos canellam vocamus. In hac magis certi sumus: ideò pro malabathro canellam iniicias. Cùm autem Venetiis pro malabathro caryophyllorum folia vendant, non vereor folii loco caryophyllorũ folia sumere, quoniã & hæc folia in hac compositione ad omnes intentiones, ad quas valet, efficaciam habent. Nec etiam mihi displicet, quòd eius loco macis ponatur, & hoc est Arabum inuẽtum. Nempe Auicenna secundo libro, cap. CCLIX. cùm folium deficit, macim sumi iubet. Dicas autem pro Bedeguar & Suchaha quid accipis? SEN. Tibi ingenuè verum fatebor, pharmacopolas adeò varios videmus, vt horum loco nihil iniiciam. BRA. Omittis igitur? SEN. Omitto volens, ne aliquid accipiam quod compositionem peruertat, & ab eius vniuersali intentione discedat. BRASA. Res equidem est, quæ diu pharma-

*Folij loco quid sumẽdum sit.*

copo

copolas agitauit. Nam superioribus annis fructum sylvestris rosæ, id est, echinum illum qui in rosetis concrescit, sumere consueuerunt, & nunc etiam aliqui seruant. Alii carduum ipsum accipiunt, alii rubum. Sed nunc carduum vulgò benedictum nuncupatū maior pars accipit. SEN. Tu autem quid sumendum iudicas? BRA. Si in primis quid sit Bedeguar apud antiquos discutiamus, eius loco quid sumendum sit videbis. SEN. Hoc lubentissimè audiam. BRA. Serapio XCIX. capite libri de simplicium medicamentorū facultatibus, de Bedeguar tractauit, Dioscoridemq; ita dicentem adducit: Nascitur in montibus Zagial, & habet folia similia chamæleontæ albæ, nisi quia sunt strictiora & albiora, & super ea est simile borræ, & sunt spinosa, & habet stipitem longum duobus brachiis, in grossitudine digiti pollicis, vel plus: color eius est vergens ad albedinem, & super summitates eius sunt capitella spinosa similia ericio marino, nisi quia sunt minora & oblonga, & flos eius est coloris purpurei, & semen eius est simile grano carthami, nisi quia est rotondius. Hactenus Serapio. Audias modò Dioscoridem de alba spina differentem, non dico autem de spina alba, vt recentes faciunt, sed de Alba spina. Nam & Manardus deceptus est, λευκακάνθαν Dioscoridis esse *Alba spina.*

esse putans, cùm sit ἄκανθα λευκὴ. Cùm enim dicimus λευκοακάνθα, fruticem intelligimus aculeatum, cuius copiam in nostris sepibus, & foueis habemus, flores albos, odoratos parientem, aut genus cardui aculeatum & quadratum, quod non est bedeguar. Cùm verò de acantha leuce, id est, spina alba loquitur, est bedeguar Serapionis. Quod manifestè apparet, si Dioscoridem Serapioni cõpares Serapionis verba audiuisti: nunc Dioscoridi eadem dicenti attendas. Nascitur, inquit, in montibus, syluosisq; locis: folia habens chamæleontis albi similia, verùm angustiora candidioraque, subhirsuta, spinis infesta, caulem binos cubitos excedentem, pollicari crassitudine, vel ampliore, subalbidum, & inanem: cacumini echinus insidet, à marino differens magnitudine, sed oblongus, flore purpureo continente semen, quale cnici, rotũdius. SEN. Nunc idem præcisè esse apud Serapionem bedeguar, quod apud Dioscoridem spina alba, facilè deprehendi: quid autem sit, ignoro. BRA. In Mutinensibus montibus, Regiensibus, & Bononiensibus viret, & in aliquo loco Ferrariensis agri asperiore, ego tibi oculis ostendam. SENEX. Gaudebo plurimùm, & tibi ingentes gratias habebo. Audiui in Hetruria rusticos ad coagulandum lac eius flore vti. BRASAVO. Hoc quidem

quidem non vidi, quanuis per Hetruriam equitauerim,& multa obseruauerim, sed bene audiui,& eius flores ad me mittentur hac æstate. Vidi tamen floribus verba sci idem effici in eadem Hetruria. SEN. Ad suchaha transeamus. BRAS. Suchaha Serapionis spinam Arabicam Dioscoridis esse putatur: plura tamẽ à Serapione de spina Arabica secundum Dioscoridem scribuntur, quàm ab ipso Dioscoride dicantur: fortè Serapio in suo Dioscorid. libro tot habebat, quę ab aliquo interprete scripta erant: quod autem à Serapione plura scripta sint, quàm à Dioscoride dicantur, manifestum fiet, si Serapionem audies secundum Dioscoridem ita scribentem: Natura huius herbæ, secundum quod existimo, est prope naturam bedeguar, & est styptica, & semen eius est fortius satis, & confert relaxationi vuluæ, & fluxibilitati ani, & conglutinat vlcera: quoniam stypticitas eius est pauca sine superfluitate, & radix eius cõfert cursui humiditatum antiquarum matricis, & fluxui nimio menstruorum, & sputo sanguinis à pectore, & aliis fluxibus humiditatum corporis. Hæc Serapio secũdum Dioscoridem. Sed tu modò Dioscoridem audias ita dicentem: Spinæ albæ natura videtur esse, hoc est, id, quod Serapio dicit, est prope naturam bedeguar. Sequitur Dioscorides,

rides: nam & ipsa spissat, stringitq; guttantia, menstruum abundantias, sanguinis excreatus, & alias fluxiones etiamnum radice valés. Nascitur in asperis. s B. Idem re ipsa cum Serapione dicit, sed Serapio magis ampliat, vel sermo Arabicus non est ita breuis. Habes autem aliud testimonium quòd hæc sit, si ea legas quæ idem Serapio secũdum Galenum de suchaha scribit. Inquit enim: Hęc herba est similis plãtę Bedeguar, nisi quia virtus eius desiccat & stypticat plus eo, & fructus & radix eius est fortior res quæ sit in ea, & ideo radix eius confert nimio fluxui menstruorum, & confert in omnibus ægritudinibus, quibus confert Bedeguar, & fructus eius & radix confert apostemationi vuluæ & apostemati bus ani, & radix eius incarnat vlcera, quia in ipsa est virtus consolidatiua cum temperamento. Hæc Serapio de suchaha secundum Galenum. Nunc Galenum audies de ἄκανθα Aegyptia eodem tertio lib. de simplicium medicamentorũ facultatibus præcise dicentem in hunc modum exorsus: Acantha Aegyptia, quidam Arabicam vocãt, similis autem est albæ spinæ nostrati, verùm facultate validior adstringente pariter, & desiccãte. Itaque profluuium muliebre radix eius iuuat, & alia quibus auxilio est, quæ apud nos nascitur spina: sed efficacius tamẽ omnia adiuuant, tum

radix,

radix, tum fructus, sic verò & columellę prodest, & iis, quæ in sede inflata sunt, tum vlcera ad cicatricem ducit, mediocrem habens, & non molestam adstrictionem. SEN. Idem præcisè de suchaha dicit, quod Galenus de spina Arabica, vno dempto. BRASAVOL. Quale hoc est? SENEX. Cùm Galenus scripsit prodesse columellæ, Serapio refert prodesse vulvæ. BRA. Deprauatus est Serapionis contextus, à librario parum perito, nempè legi debet vuulæ: quia hi Barbari vuulam appellant, quam Latini columellam dicunt. SEN. Ita certè legendum puto. BRA. Auderem ego infinitos Arabum errores emendare, & conciliare, Græcis authoribus conferendo. SEN. Nunc scio Arabum suchaha esse Arabicam spinam antiquorum. Cuperem autem vt mihi illam ostenderes, & quid accipiendum sit edoceres. BRA. Multi decipiuntur, qui hanc spinam arbusculam in Arabia esse putant, qua fiat Acacia, sed longè decipiuntur, quia herba est, aspectu similis nostræ albæ spinæ, tantùm verò differt quia in Arabia nascitur, vt propter solũ efficaciores vires habeat: sed quia haberi non potest, vel saltem facilè, propterea pro suchaha Bedeguar sumere collaudarem: quia has duas herbas idem esse arbitror, & tantùm solo, quo nascuntur, differant: hoc enim apud nos, id

apud Arabes nascitur. SEN. Igitur eam spinam albam accipiam pro suchaha, & bedeguar, quam mihi ostendes. BRAS. Si ita feceris, non errabis. Sed vnum est quod me vehementer angit. nam huius syrupi intentionem considerans, quæ est aperire, reserare, & potius soluere quàm stringere: & deinde vires harum herbarum perpendens, quæ sunt prędictis oppositæ, nempe adstringere, obstruere, & fluxiones remouere, statim suchaha, & bedeguar in suspicionem mihi venere, quòd in syrupo poni non debeant, qui est aperitiuus, & fluidum facere debet. SEN. Fortè ob ventriculum ponuntur, cui stiptica conueniunt, quando eius formam amiserit. BRAS. Et in hoc opus est obstructiones aperire. Ideò varia Mesuæ volumina euoluere cœpi, vt experirer an in omnibus ita scriptum inueniretur. Omnia quæ incidi, hæc duo habebāt, bedeguar, suchaha, quæ tamen in hac cōpositione mihi suspecta sunt. Ideo ne in hoc syrupo essent cōtrapugnātia absq; vtilitate, vel illorum loco nihil ponerem, aut aperiētia acciperem, nisi quis dicat poni ad roborandū, quod vanum est. Illosq; non arguo, qui carduum benedictū, vulgò appellatum pro his ponunt. SENEX. Quid igitur in tanto discrimine facere oportet? BRASAVO. Quod lubuerit facito: si autē pro me, id est, pro meis

ægris parabis, loco horum duorum, ſuchaha ſcilicet & bedeguar, ſabinam & polypodium iniicito. SEN. In tui gratiam ita paratum habebo. BRAS. Habeto. Alii ſuo modo confectum velint: ſcito etiam cum Raued abſolutè ſcriptũ inuenies, Rhabarbarum ſemper intelligere oportet. SEN. Nunc pro hoc ſyrupo mihi in mentem venit, quoſdam eſſe, qui à ſyrupo Byzantino ſuccorum proportionem accipiunt. BRASAVO. Quantam accipiunt? SENEX. Sicut in ſyrupo Byzantino ſunt quatuor libræ ſuccorum, & zucchari libræ duæ & ſemis, ideo pro omni zucchari libra debẽt poni ſucci depurati vnciæ xix. 3. j. ſcrupulus j. gra. xvj. BRAS. Eſt nimia ſuccorum quantitas: potius ſumetu ex illo de fumo terræ, qui fit ex decoctione & ſuccis, ſicut etiã iſte fit: ſyrupus autem Byzantinus fit ſolùm ex ſuccis, ideo inter iſtum, & Byzantinum nulla eſt proportio, ſed magna eſt inter iſtum & illũ de fumo terræ. SENEX. Hic diſcurſus mihi ſummè placuit. BR. Imò hoc erat ſummè animaduertendum, quia in hoc adeſt decoctio & ſuccus, ideo ab vno regula ſumenda eſt, qui decoctionem & ſuccum recipiat, & non ex vno, qui ſolùm decoctionem recipiat, vel ſolos ſuccos. Tu autem omnes ſyrupos contẽpleris, cognoſces nullũ eſſe huic magis proportionatum illo de fumo terræ.

Dic autem quis ille fuit, qui hanc proportionē ex syrupo Byzantino accepit? SEN. Vnus ex nostris satrapis, à cuius nomine abstinere decreui. BRA. Viuitne? SEN. Diu est quòd desideratur. BRASA. Igitur neminem offendes, quia hominum verbis, mortuorum manes non læduntur. SEN. Est libellus Lumen Apothecariorum inscriptus. BRAS. Certè vir ille vituperandus non est, quia sua ætate in adiuuanda hac arte pro facultate laborauit, & ingenium suum (vt illa ætas patiebatur) exercuit. Illos enim obtorta conscientia affectos puto, qui illos calumniantur, qui mortales adiuuare conati sunt, vel feliciter, vel infeliciter successerit. Si quidem feliciter iuuerint, laude digni sunt: si infeliciter, corrigendi sunt, & errores detegendi, non tamen conuiciis iritandi. SEN. Et hoc semper probi viri officium esse existimaui, neminem lædere. BRAS. Hoc non solum vir probus agere debet, sed etiam eius animus ita inclinatus & affectus sit. Nunc syrupos alios perpendamus.

SENEX.

*Syrupus de liquiritia.*

QVi succedit, syrupus de liquiritia appellatur. BR. Magnus est eius vsus in pleuritide, in antiqua tussi, ad mundificandum pectus & pulmonem, sed eius cōficiendi modum examinemus, enarra simplicia, & eorum quantitatem, vt ab authore

scrib

scribuntur. SE. Ita Mesue ad verbũ ferè dicit:

| | | |
|---|---|---|
| Recipe liquiritiæ | vnc. | ij. |
| Capillorum Veneris | vnc. | j. |
| Hyssopi siccæ | vnc. | ß. |

Super hæc proiice aquæ libras quatuor, & dimittatur per diem & noctem, id est, viginti-quatuor horas, deinde coquantur vsque ad mediam partem, postea super hæc proiice

| | | | |
|---|---|---|---|
| Mellis<br>Zucchari<br>Penidiarum | } ana | 3. | viij. |
| Aquæ rosatæ | | vnc. | vj. |

Fiat syrupus, id est, bulliant ad coctura m syrupi, & quando opus est administretur. BR. In huius syrupi compositione nihil ambigui accidit, nisi cùm dicit siccam hyssopum, noli intelligere extremè siccam, sed quæ in superficie humiditatẽ amiserit: nec opus est secundum maiorem & minorem decoctionem simplicia iiniicere, quia prius infunduntur. SEN. In vno solùm recentes ambiguitatem faciũt, cùm hic syrupus aperire, & dilatare debeat, cur aquam rosaceam recipiat: vnde & ego & multi alii pharmacopolæ, medicorum etiam suasu aquã rosaceã omittimus. BR. Re vera omittenda nõ erat, quia partes pectoris relaxatas roborat, & vim expultricem fortiorem reddit: quod siccitate, & stypticitate quadã fit, quæ tamen modica sit ratione aliarum re-

rum ingredientium. Ideo aquam rosaceam semper iniicias: nec debet medicus vereri in morbis pectoris modicè adstringẽtibus vti, præsertim cum ab aperientibus superantur. Ideo & illi summè errãt, qui in morbis pectoris rhabarbarum exhibere nolunt, & qui ob aquam rosaceam compositionẽ Manus Christi appellatam prohibent, & plura similia, in quibus inspiciendũ non est, quia potius prosunt, quàm obesse possint. Imò si omnia simplicia, & omnia composita consideremus, nihil est adeò perfectum, quin aliqua ex parte notari possit. SENEX.

*Syrupus de Hyssopo.*

His omissis ad syrupum de hyssopo descendamus. BR. In Mesue etiam hic sequitur, & non præter rationem: nam ad morbos pectoris, ad tussim, ad pleuritim, ad dolores corporis, ad asthmata efficacior est, quàm is de glycyrrhiza prædictus. Tu autem eius compositionem edisseras. SEN. Hæc est apud Mesuen:

Recipe hyssopi siccæ
Radicum Apii
Fœniculi } ana 3. x.
Liquiritiæ
Hordei mundi vnc. ß.
Seminum maluæ
Tragacanthi } ana 3. iij.
Seminũ cydoniorum

Capill

| | | | |
|---|---|---|---|
| Capillorum Veneris | | 3. | vj. |
| Iuiubæ<br>Sebeſten | } añ. | num. | xxx. |
| Paſſularum enucleatarum | | 3. | xij. |
| Ficuum ſiccarum<br>Dactylorum pinguiũ | } añ. | num. | x. |
| Penidiarum albarum | | ℔. | ij. |

Fiat ſyrupus.

BRAS. Simplicia, quæ hunc ſyrupum ingrediuntur, in noſtro ſimplicium examine perpenſa ſunt, & ſuperiùs diximus, quid per ſiccam hyſſopũ intelligere oporteat: nec opus eſt dubitare, quid per alba penidia intelligendum ſit, nempe illa intelligimus, quæ ex zuccharo albo facta ſunt. Quod verò dubiũ ingerit eſt, quia ſi huius ſyrupi ſimplicia miſceantur, emplaſtrum fiet: nam Meſue nõ dicit vel in aqua bulliendo, vel in alio liquore. SEN. Subintelligere opus eſt, quia in pluribus aliis ſyrupis aquæ quantitatem poſuit, in qua fit decoctio: ideò non eſt opus, vt ſemper ponat, ſed diligens lector, & pharmacopola plerunq; ex aliis ſyrupis elicere debet. BR. Optimè ſentis, ſed quantam aquæ quantitatem ſumis, vt hæc ſimplicia ebulliant? SEN. Per pondus certam menſuram non habeo, ſed ſimplicia in vas pono, & tantam aquæ quantitatem iniicio, quòd ſimplicia tegantur, & aqua pollicari quantitate ſuperemineat. Itaq; per ali-

quot horas relinquo, postea ad consumptionem medietatis ebullire facio, deinde excolata decoctione penidia addo, & ad formam syrupi reduco. BRA. Nõ modò tu, sed & cæteri pharmacopolę ita operantur. sed duplex error hic est: primò, quia non semper idem syrupus erit, quia decoctio quandoq; maior, quandoque minor euadit: secundò, quia eodem tempore omnia in decoctionem ponuntur, tamen sunt aliqua, quæ maioré decoctionem, aliqua, quę minorẽ patiuntur. Nec opus est fugias primò infundi, quia infundi non debent, quando ab authore non specificatur infusio. SEN. Ab omnibus ita fieri vidimus. BRA. Et omnes sine regula agunt. SEN. Hoc, éstne sufficiens causa, vt syrupum immutet? BRA. Tantum immutare potest, quòd vires æquè perfectę non sunt in vno, qui magis decoctus sit, & in vno qui minus. SEN. Da tu regulam, in qua nunquam errare possim. BR. In omnibus syrupis certa regula assignari nõ potest, sed in vnoquoque syrupo sua exhibetur: quoniam (vt in syrupo de stœchade scriptum reliquimus) simplicia, quæ ingrediuntur, ea sunt, quæ magis & minus aquæ recipiunt: si arida vel viridia sint, si mucosa, vel non, si mollia vel dura. Ideò in omni syrupo sua aquæ portio statuta esse debet. SE. Quantam in hoc syrupo iniicies? BRA. Nunc tibi

ostẽ

oſtendam, ſi hanc cõpoſitionem conſideres, in ea pauciſsima ſunt, quæ multùm aquæ imbibere poſsint: ideò multa aquæ quantitate non indiget: imò ſi experiaris, octo libras aquæ ſatis eſſe deprehẽdes, & decoqui quouſq; tres libræ relinquãtur, poſtea exprimãtur, & cum penidiis ad formam ſyrupi iterum bulliãt. S E N. Sed quẽ ordinem in decoquẽdo ſeruare oportet? B R. Primò paſſulæ, zizipha, ſebeſten, ficus, dactyli, radices apii, & fœniculi ingrediãtur: deinde hordeũ, ſemen maluæ, ſemina cydoniorũ: deniq; tragacanthũ, hyſſopus, & capilli Veneris. S E. Nullus eſt inter nos, qui hoc modo paret. B R. Ideò nullus eſt, qui rectè operetur. Notaq; hũc ſyrupũ dactylos, & cydoniorũ ſemina ingredi, quæ aliquã adſtrictionem illi præſtant, ſed leuiſsimã: propterea adſtringente aliquo vti licet, vbi etiam apertione indigemus ad confortandũ & roborãdum. S E. Quur iſtud nunc iterũ repetis? B R. Quia in magnorũ virorum mentibus inſertum eſt, vt nec cõpoſitio manus Chriſti dicta, in diſpoſitionibus pectoris ob aquam roſaceam, quæ ingreditur, exhibeatur. S E. Tamẽ ſuperius in ſyrupo de eupatorio, qui plurimùm aperit, iubebas ſuchaha, & bedeguar abiiciẽda, quia adſtringentia ſunt. B R. Id faciebam, nõ quia adſtringẽtia, ſed quia nimis adſtringentia: imò ad reprimẽdam vim for-

tium medicaminum adstringẽtia miscemus, sed non vehementer adstringentia: qualia illa sunt, quæ syrupum de Eupatorio ingrediuntur, in quo nihil est, quod vehementem vim habeat. SEN. Hoc mihi satis est. BRAS. Scito præterea multos de hyssopo syrupos à Mesue poni, vbi de tussi pertractat, qui omnes ab hoc distincti sunt. Tu solùm isto vti debes, cuius per totam Italiam publicus vsus est.

SENEX.

*Syrupus de prassio.*

RAri sunt, qui syrupum de prasio Ferrariæ parent: tamen quia ab aliquibus fit, & in vsu est apud illos, ideò ipsum adducere nõ grauabimur. BR. Miror quòd omnes non parẽt: nam cùm syrupus de hyssopo nõ sanet, opus est ad syrupũ de prasio deflectere: nam antiquæ tussi, & ægritudinibus longioribus pectoris plurimùm succurrit, & materiam crassam & glutinosam habentibus, & antiquis viris asthma patientibus, præsertim à pituitoso humore, crasso, putrido, & difficulter solubili. SEN. Ad eadem igitur valet, ad quæ syrupum de hyssopo valere dicebas? BRA. Ad eadem omnino, sed efficacius. SEN. Est ergo in pectoralibus syrupis aliquis ordo. BRA. Imò perfectissimo ordine incedũt: quanuis plures (non quidem medicorũ, sed qui medẽtur: quippe differũt Medicus, & qui sine arte artem exerceat) id ignorent. Cùm enim

enim materia vel calida, vel ex calido & frigi do mista est, quia in principio calida materia magis agit, propterea à syrupo violato incipiendum est: Cùm ægritudo procedit, ad syrupũ de capillis Veneris transeo. SEN. Ego hunc syrupum nunquam vidi vel audiui. BR. Nunc audiuisti, & deinceps videbis. Syrupus est, quem parari facio, inter violatum, & illum de glycyrrhiza medius, cuius descriptionem post hunc de prasio prosequamur, à syrupo de capillis Veneris, ad syrupum de glycyrrhiza peruenio. Interim subtilis, & calida materia euanescit, frigida & crassa remanet, propterea ad syrupum de hyssopo deflecto, qui nisi profuerit, ad illũ de prasio tãquam ad sacram anchoram confugimus, qui nisi sanet, is, qui ægrotat, ferè desperatus est, vel ad decocta, & trochiscos veniendum. Nunc autem syrupi de prasio compositionẽ enarra. SEN. Hæc est quæ sequitur:

*Syruporum pectoralium ordo.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe prasii | | vnc. | ij. |
| Hyssopi | | | |
| Capillorũ | añ. | ʒ. | v. |
| Veneris | | | |
| Liquiritiæ | | vnc. | j. |
| Calamenthi | | | |
| Anisi | | | |
| Radicũ apii | añ. | ʒ. | v. |
| Fœniculi | | | |

Semi

| | | | |
|---|---|---|---|
| Seminum maluæ<br>Fœni græci<br>Ireos | } añ. | 3. | iij. |
| Seminum lini<br>Cydoniorum | } añ. | 3. | ij. |
| Paſſularum enucleatarum | | vnc. | v. |
| Ficus ſiccas pingues | | num. | xv. |
| Penidiarum<br>Mellis boni deſpumati | } añ. | ℔. | ij. |

BRA. Hæc tantùm ab authore dicũtur,& nihil de cõponendi modo addidit?SEN. Nihil. propterea & nos aquæ quantitatem accipimus, vt nobis videbitur. BRA. In hoc ſyrupo decem aquæ libræ ſumi debent, quæ ad conſumptionẽ medietatis bulliant propter mel & penidia,quæ ingrediuntur:nempe maioré decoctionis quantitaté exigunt, quàm præcedens ſyrupus de hyſſopo fecerit, quoniam in illo ſolùm duę penidiarum libræ erant:hic autẽ præter penidia, duæ mellis libræ ingrediuntur. Non deſunt autẽ,qui velint hic hyſſopum viridem ſumi:nos autẽ ſiccam ſumendam putamus,non tamen extremè ſiccã, ſed quæ in ſuperficie humiditatẽ amiſerit. & ita de aliis. Huncq; ſyrupum aliorum more componito,vt primò ea ingrediantur, quæ maiorem decoctionem patiũtur, vt paſſulæ,ficus, radices:poſtea quæ minoré,vt ſemina:deniq; quæ minimã,vt capilli Veneris.SEN.Hoc igi-

tur

tur ſemper obſeruabo. BRA. Niſi errare volueris, modò nõ ſit opus ſimplicia prius infundere, quia cum infuſio decoctionẽ præcedit, tũc ordo ponendarũ rerũ nõ habetur. SE. Cuperem nũc, vt ſyrupũ illũ de capillis Veneris mihi referres, quo vteris tu. nam & ego deinceps illum parabo. BRA. Hic eſt ſubſcriptus:

*Syrupus de capillis Veneris.*

| | | |
|---|---|---|
| Recipe glycyrrhizæ mundæ | vnc. | ij. |
| Capillorum Veneris | vnc. | v. |
| Supra iniicias aquæ fontis | ℔. | iiij. |

Et dimittas per diem & noctẽ, poſtea coquãtur ad conſumptionẽ medietatis, deinde percoletur, & huic decoctioni addantur:

| | |
|---|---|
| Zucchari clarificati<br>Penidiarum<br>Aquæ capillorũ Veneris | añ. vnc. viij. |

Miſce, & ad formã ſyrupi decoque, ad vſusq; ſeruetur.

SENEX.

*Syrupus de calamẽtho.*

SYrupus de calamẽtho ſpõte in mea ſcheda occurrit. BR. Cùm duo ſint apud Meſuen de calamentho ſyrupi, quẽ in tua officina paratũ ſeruas? SEN. Primum apud Meſuẽ, cuius deſcriptio hæc eſt, quæ ſubſequitur:

| | | |
|---|---|---|
| Recipe calamẽthi domeſtici<br>Sylueſtris | añ. vnc. | ij. |
| Cherſim<br>Dauci<br>Squinanti | añ. ʒ. | v. |

Paſſu

Passularum enucleatarum ℔. ß.
Mellis ℔. ij.
Fiat syrupus.

In hoc quoq; aquarum regulã non habemus, sed, vt nobis videtur, aquam ponimus. BRA. In hoc syrupo sex aquæ libræ recipiãtur, quæ bulliant primò passulas, deinde alia secundũ præscriptum ordinem ponendo, vsq; ad consumptionem medietatis: deniq; addito melle fiat syrupus secundum artem: qui syrupus ad lienosos plurimùm valebit, quibus durus est lien & penè irresolubilis, & his, qui frigida viscera habent, & asthmate laborãt, præsertim in senibus, & in habentibus antiquas tusses: si quis enim vel pectus, vel ventriculum, vel intestina crassa, tenaci, & irresolubili materia plena habeat, hoc syrupo sanatur. Vnum tantùm est, quod te perturbare posset, scilicet quid sit domesticum calamenthum. In examine simplicium de calamentho differuimus: per domesticum verò, menthã intellige. SE. Quam menthã? BRA. Nostratẽ vulgarem.

SENEX.

*Syrupus de endiuia.*

SYrupus de Endiuia nos vocat. BRA. In hoc syrupo pharmacopolæ plurimũ differunt: aliquos enim Ferrariæ, & in omni ferè Italica vrbe inuenio, qui syrupũ de endiuia Gentilis solùm parant, & semper illũ parant, à quocunque & quandocunq; syrupus de

de endiuia indicetur. Alii syrupum de endiuia Nicolai paratum seruant: alii syrupũ de endiuia ex solo succo & zuccharo. Quem habes tu paratum? SEN. Ego cõsuetus sum (& ita præceptor meus vtebatur) syrupũ de endiuia Gẽtilis parare, cuius descriptio hæc est, quæ sequitur:

Recipe succi Endiuiæ, Hepaticæ } añ. ℔. iij.

Clarificentur prædicti succi ad ignem, vt expedit.

Rosarum, Violarum, Lenticulæ aquæ, Florũ nenupharis, Polytrichi } añ. vnc. ß.

Capillorum Veneris, Hordei mundi, Seminum communium maiorum frigidorũ } añ. vnc. j.

Fiat syrupus cum zuccharo quantum sufficit, secundum artem, & aromatizetur, cum

Sandalis albis, Rubris, Berberis, Seminum cydoniorum, Ligni aloës, Cinamomi, Corticum citri } añ. scrup. j.

Et

Et vſui reſeruetur. BRA. Mihi ſummè diſplicet quòd hunc ſyrupum habeas, aut vnquam paraueris. In eo enim nullum ordinem inuenio, imò confuſionem quandam, & ita ſyrupum de hepatica appellari poſſe, ſicuti de endiuia: quando autem apud te pro meis ægris ſyrupum de endiuia indicebam, ſimplicé ſyrupum quærebam, non tam amplam compoſitioné, in qua calida frigidis miſta ſunt. Nos Gentili ſuum ſyrupum dimittamus, qui eo vtatur quando lubet, eo enim nunquam vtemur. Alii etiam Ferrariæ ſunt, qui aliam deſcriptionem ſequuntur. SEN. Quam? BR. Subſequentem, quam faciunt, & neſciunt à quo authore ſumatur:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe ſucci endiuiæ | | ℔. | lx. |
| Roſarum | añ. | vnc. | v. |
| Sandalorum citrinorũ | | | |
| Spodii | añ. | 3. | xx. |
| Berberis | | | |
| Aſparagorum | | 3. | x. |
| Zucchari | | ℔. | xx. |
| Aceti granatorum | ℔. | iij. vnc. | iiij. |

Miſce, & fiat ſyrupus ſecundũ artem. SEN. Dicunt ex Gentile ſumi. BR. A quocunq; ſumatur, mihi non placet: nam cum indico ſyrupũ de endiuia, ſimplicem ſemper intelligo. SEN. Tu ſpecifica. BRA. Non eſt opus cum aliquo addito

addito indicere: sed satis est simpliciter aut syrupum de endiuia, aut de succo endiuiæ prædicere: & tunc simplex intelligẽdus est, cuius descriptio hæc est:

Recipe succi endiuiæ depurati ℔. viij.
Zuccharí albi ℔. v. ß.

*Syrupus de endiuia simplex.*

Misce, & bulliãt ad formã syrupi, sed opus est zuccharũ prius clarificare, & cùm decoquitur, succum addere. SE. Hic est, quem præparari vis? B R. Hic equidem: nam si in laterali morbo syrupum de endiuia indixero, hic conuenit, alii non: syrupo autem de endiuia medici in initio morbi lateralis plerunque vtuntur. Cùm verò indicunt: pharmacopolæ quos habent, exhibent. Vnde si cõpositos habent, illos propinandos dant: si simplicẽ, simplicem: sed hic cõuenit, ille cõtrarius est. SE. Quos igitur ex his parabo? B R. Simplicẽ ex solo succo & zuccharo parato: & cõpositum non quidem illum Gẽtilis, qui hepaticam recipit, sed alium, quẽ tu Gentili attribuisti: & cum medici syrupũ de endiuia indicunt, simplicem istũ exhibeto, nisi addiderint cõpositum. Cùm verò indicũt syrupum de endiuia compositũ, alium da: sed illuc peruenimus, quòd medici quid indicẽt parum curant, & quid à pharmacopolis fiat: sed tantùm compositionum nomina sciunt: ex his verò, quæ ingrediuntur, nihil nouere. SENEX.

*Syrupus de endiuia cõpositus.*

SYrupus de cichorea expurgãdus accedit.
BRAS. Quem de cichorea paras? SE. Illum Nicolai Florentini, cuius descriptio hæc est, ex tertio lib. huius authoris sumpta, in ca pite de oppilatione hepatis:

*Syrupus de cichorea Nicolai Florẽtini.*

Recipe endiuiæ domesticæ
Sylvestris
Cichoreæ
Taraxacon } añ. manip. ij.
Cucurbitæ
Hepaticæ
Scariolæ
Fumi terræ
Lupinorum } añ. manip. j.
Hordei non excoriati
Alkakengi } añ. vnc. iiij.
Liquiritiæ
Capillorum Veneris
Coterach
Polytrichi
Adianthi
Cuscutæ } ana 3. vj.
Radicum fœniculi
Apii
Asparagi } ana vnc. ij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & colentur, & cum zuccharo albo solido fiat syrupus, & pro vnaquaque eius libra, ponantur ad coquendum 3.iiij. rheubarbari electi

&

& ſcrup. iiij. ſpicæ ligatæ in petia rara, quæ ſæpe exprimatur, donec ſyrupus ſit perfectè decoctus. Doſis eſt vnc. iij. cum aqua euulſionis ſeminum communium frigidorum. Hæc Nicolaus. BRAS. Certè hæc potius mihi videtur confuſio, quàm cõpoſitio: nam compoſitiones ordinem aliquem habent, & per componendi regulas diſponuntur: hæc autem non ita eſt. Ideò eam omitterem, vel pro illis medicis pararem, qui ſimplicia ignorantes, & regulas componendorum pharmacorum, ad has recẽtium compoſitiones tanquã ad ſacram anchoram confugiunt. Nũquam videbis me tali compoſitione vti in hepate, quomodocunq; obſtructo. SE. In aliis Italiæ vrbibus ſyrupo de cichorea Gulielmi Placentini vtũtur, quem magis probas tu? BR. Nullum probo: nẽpe & hic confuſio quædam eſt: imò de recentibus quibuſdam miror, qui præmittũt ſyrupũ de cichorea Gulielmi ob hãc cauſam, quia plura ſimplicia recipit: vnde tota eorũ ratio eſt multitudo ſimplicium, ac ſi plura ſimplicia recipere hos ſyrupos magis egregios faciat. Nam ſi hoc verum eſſet, poſſemus quatuor ſyrupos ſolũ parare, qui omnia complecterentur: vnum ex omnibus calidis, alium ex frigidis, tertium ex humidis, quartũ ex omnibus ſiccis. Sed vanũ eſt ſine ratione multa ſimplicia aggregare. SE. Niſi pi-

*Syrupus de cichorea Gulielmi Placentini.*

geat, syrupum istum Placentini de cichorea enarra, quia à multis Italię populis fit. BRA. Hic est subscriptus:

| | | |
|---|---|---|
| Recipe foliorum cichoreæ | | manip. j. |
| Foliorum boraginis | } | añ. m. ß. |
| Lactucæ | | |
| Violarum | | |
| Scariolæ | | |
| Linguæ bouis, id est, buglossæ | | |
| Acetosæ | | |
| Batisosæ | | |
| Rhabarbari | | 3. ij. |

Herbæ pistentur, & in libris tribus aquæ coquantur, donec tertia pars cõsumpta fuerit, & coletur: & addantur in illa aqua libręduæ zucchari, & cum dissolutũ fuerit zuccharum ad ignẽ cum rhabarbaro puluerizato & ligato in vna petia, & sæpe exprimatur manu petia rhabarbari, & tandiu permittatur decoqui, quòd in syrupi formã trãsierit, tuncq; ab igne depone, & reserua. Hæc Placentinus. SEN. Memini me quandoq; hunc syrupum parasse. BR. Paraueris, & paraturus sis, quando libuerit: mihi hæ inordinatæ cõpositiones non placẽt, præsertim cùm multa sint in illis affectibus, ad quæ valẽt, multa simpliciora & perfectiora. Tu igitur pro aliis medicis paratos habeto, pro me autem nũquam. SE.

*Taraxacõ.* Saltẽ edoceas quid per Taraxacõ intelligendum

dum sit. BRA. In hac re tibi libēter satisfaciam. Dioscorides de seri tractat, de qua abundē nos in examine simpliciū eginus. Serapio de Dundube cap. CXLIII. scripsit, idem significante quod seris, dicitq; Taraxacō esse sylvestrē Dundube, id est, serum sylvestrem: est autem apud Dioscoridem sylvestris seris picris, id est, amara, quam cichoreū appellari dicit. Vnde illa herba, quā vulgo redechio syluatico nūcupamus, est seris sylvestris, & cichoreū Dioscoridis, & Serapionis taraxacon, dicāt quodcūq; recentes: nam in inuenienda hac herba plurimùm hallucinātur. Res igitur ita se habet, Radix sylvestris amara, qua in acetariis quā doq; vtimur, est Serapionis, & Mauritanorū taraxacon, & seris sylvestris, atq; cichoreum Dioscoridis. Sed ad alios syrupos trāseamus, ne in his recentium amissis compositionibus tempus amittatur. SENEX.

ERgo syrupum myrtinū huc vocemus. *Syrupus myrtinus.*
BRA. Non possum nō irasci, & non valde excandescere, fecere & nostri pharmacopolæ in hoc syrupo partes. Sunt enim, qui compositum quendam myrtinum parent, & qui simplicem Mesuæ ex succo granorū myrti faciant. Tu quem facis? SEN. Ego semper compositum feci, & ab aliis fieri vidi. BRA. Edissere hunc tuum compositum, quem paras. SEN. Est hic qui subsequitur:

Recipe myrtillorum 3. xx.
Rosarum rubearum
Sandalorũ rubeorum
Alborum
Sumach
Balaustiarum
Berberis } ana 3. xv.
Mespilorum 3. 50.
Aquæ fontium ℔. viij.
Bulliant omnia ad consumptionem medietatis, postea coletur, & in colatura adde:
Vini granatorum
Succi cydoniorum } ana vnc. vj.
Zucchari clarificati ℔. iij.
Misce, & decoquas ad modum syrupi. B R A. A' quo authore hunc syrupum accepisti? S E. Est magistralis, à quo sumatur ignoro. B R A. Tamen non displicet hic syrupus, si omnes Ferrarienses pharmacopolæ hunc pararent: sed aliqui sunt, qui huius loco, composito quodam vtuntur, quem absolutè syrupum myrtinum appellant: cùm & ipse compositus sit, imò & si ab hoc differat, differentia modica est, & in eundem finem tendit. S E N. Ni pigeat, hunc, quem alii faciunt, abs te scire percupio. B R A. Non piget. illum audias:
Recipe granorum myrti
Carnium cydoniorum } ana vnc. j.
Sumach

Acac

| | | | |
|---|---|---|---|
| Acaciæ<br>Roſarum | }ana | vnc. | j. |
| Spodii<br>Hypociſthidos | }ana | vnc. | ij. |
| Maſtiches | | 3. | ß. |

Bulliant hæc omnia in ℔.iiij. aquæ ad cõſumptionẽ tertiæ partis: deinde colẽtur, & colaturæ addantur zucchari clarificati ℔.iij. & fiat ſyrupus. S B. Eadẽ eſt in hoc, & in eo quẽ facio, intentio: ſed mea cõpoſitio mihi magis placet. B R. Nec mihi diſplicet, propterea loco ſyrupi myrtini cõpoſiti, tuũ parato. Qui verò & hunc faciunt, perperam non agunt: nã & hic eſt magis cõſtrictiuus q̃ tuus. Vellẽ ego vt ſimplicẽ myrtinũ, q̃ hoc ꝑfectior eſt, haberes, & quẽ Meſue parãdũ docet. S B. Fieri nõ poteſt: nẽpe myrtillorũ ſucco caremus. B R. Hunc ſuccũ haberi facilius eſt, q̃ rhabarbarũ, aut aliquod aliud ex his, quæ extra Italiã petũtur: imò in propinquiſsima parte huius noſtræ almæ Ferrariæ, & myrtus, & myrti fructus haberi poſſunt. Ne igitur hãc excuſationẽ habeas, ſed illũ parato, vt Meſ. ſyrupũ de acetoſitate citri parare docuit. S B. Quomodo? B R. En ſucci myrtillorũ ℔.xij. decoque in vaſe vitreato lẽto igne ad cõſumptionẽ tertię partis: deinde coletur, & dimittatur donec clarificetur, & accipe ex eo quod clarũ eſt ℔.vij. & fũde ſuꝑ illud zucchari clarificati

lib.v.& decoquatur donec inſpiſſetur ad for mam ſyrupi : vel ſi æſtas fuerit, in ſole ponatur , donec eius aquoſa pars euaneſcat. Hic verè eſt ſimplex & perfectus myrtinus ſyrupus, quem & Serapio deſcribit:quanuis duas alias deſcriptiones,præter hãc edocuerit,qui ad vẽtris fluxus tam recẽtes quàm antiquos plurimũ valent:& in affectibus pectoris conuenit vbi contrapugnantia fuerit:quia adſit fractura venæ in pectore , & etiã exitu materiæ putridæ in ventriculo & in pectore exiſtente indigeat : tunc hic ſyrupus myrtinus ſimplex plurimũ valet , alii verò cõpoſiti nihil:imò ad antiquam tuſsim conuenit:cõpoſiti verò ad fluxus ventris magis proficiunt, quàm hic ſimplex : ventriculum roborat , & omnia intrinſeca viſcera.Hunc igitur omnino parabis,& potius cõpoſitos omittas. Tamen ſi cõpoſitos habere volueris præter ſimplicẽ,ab re non erit.SE.In hoc tibi obtemperabo.nam cõtinuè in mea officina & ſimplex & compoſitus ſeruabuntur: & niſi medicus, cùm indixerit, ſpecificabit , ſimplicẽ exhibebo:ſi verò cõpoſitum addiderit , cõpoſitum dabimus. Hunc ſyrupũ antiquum appellaſti, reperitúrne apud Græcos? BRA. Imò apud Paulum Aeginetã lib.VII.cap.XV. reperitur, *Myrtetum.* & Myrtetum appellat:ſed ipſe ex melle facit, quia zuccharum neſciebat:ſed ipſa compoſi-

*tio*

tio parũ differt. SEN. Ne pigeat Pauli compositionem subscribere. BRA. Non pigebit. Inquit Paulus: Myrtetum, hoc est, ex myrtis compositionem facies, si succi myrtorũ sextarios treis, mellis sextarium vnũ, semper despumando ad consumptionem tertiæ partis decoxeris. SEN. Parua differentia est. Sed plurimùm gaudeo, antiquos hoc syrupo vsos esse, & myrtetum appellasse. BR. Potissimè in aluo fluente vtebantur. SE. Igitur & hunc deinceps paratũ habebo: & doleo, quòd in nostra hac vrbe aliqui pararint, ego autem omiserim. BR. Satis est nunc vices rependere.

SENEX.

HOc igitur omisso syrupus de matricaria accedat. BR. Nullum authorem fide dignum legi, qui hunc syrupũ tractaret, sed compositiones quasdam inueni, & illas quidem varias, quæ de matricaria compositiones vocabantur. Nec nostri pharmacopolæ vno syrupo vtuntur, sed quisq; ferè cõpositionem ab alio diuersam habet. V tautem à te incipiam, quam compositionem sequeris? vt aliis comparando differentiam videamus. SE. Hæc est, quam subscribam:

*Syrupus de matricaria*

Recipe matricariæ
Betonicæ } añ. vnc. j.
Melissæ

Radicum Apii
Acori
Petroſelini } ana vnc. j.
Fœniculi

Aſſari
Rubeæ tinctorum
Cyperi } ana vnc. ß.
Calamenthi
Sileris montani

Paſſularum } ana vnc. j.
Aniſorum

Caryophyllorum } ana vnc. ß.
Spinæ albæ

Bulliãt in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionẽ medietatis: poſtea coletur, & colaturæ addantur zucchari lib. tres, & fiat ſyrupus ſecundũ artẽ. B R. Cur ſpinã albã ponis, quæ cõſtrictiua eſt? S E. Neſcio, ſed in mea cõpoſitione ita ſcriptum reperi. B R. Melius parant, qui loco ſpinæ albæ calamũ aromaticũ legunt, niſi pro ſpina alba carduũ benedictũ acceperint. S E N. Illum ſemper accipio. B R A. Alii pharmacopolæ compoſitiones alias ſequuntur. S E. Quas? Abs te audire cupio. B R. Prædicam libenter, & eo libentius, vt pharmacopolarum vnius tantùm vrbis diuerſitatem videas, quam tamẽ diuerſitatẽ in omni ferè Italię vrbe inuenies. Sunt enim pharmacopolæ, qui ſubſequentem compoſitionem

ſequun

sequuntur, & eam in suis officinis paratam seruant: & semper cùm syrupus de matricaria indicitur, hanc exhibent:

Recipe artemisiæ
Calmenthi
Folii
Saturegiæ
Origani
Thymi
Tamarisci
Stœchados } ana manip. j.

Chamomillæ
Meliloti
Sampsuci
Anthos } ana vnc. j.

Blattæ byzantiæ
Calami aromatici } ana 3. iij.

Spicæ Celticæ 3. j.

Chamædryos
Matricariæ minoris
Betonicæ
Abrotani } ana ma. ß.

Acori
Parasii
Foliorũ rubeæ maioris
Sileris montani } ana vnc. j.

Assari
Squinanti
Anisi } ana 3. vj.

Mara

Marathri
Ameos } ana 3. vj.
Apii

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ secundum artem: postea addunt mellis quantum sufficit, & syrupum faciunt. SENEX. Et ego hunc syrupum in mea officina seruo, sed est syrupus de Artemisia, non autem de Matricaria. BRASABO. Quid putas esse matricariam? SENEX. Herbam ab artemisia distinctam. BRASAV. Deciperis, nam matricaria artemisiæ species est, vt in examine simplicium habuisti. Tua autem compositio, quam de Matricaria vocas, mihi suspecta est, cùm ob simplicia, quæ sine regula ingrediuntur, tum quia pondera in diuersis simplicibus sub diuersis ana positis eadem sunt. Primorũ enim simplicium vnciam vnã ponis, Secundorũ vnciam semis, Tertiorum vnciam vnam, Quartorum vnciam semis: quod mihi compositionem suspectam facit, ne in ipsa error sit. SEN. In illa etiam compositione, quam ego de Artemisia appellaui, posuisti assari squinanti ana 3. vj. deinde anisi, marathri, ameos, apii ana 3. vj. BRASAV. Omnia illa continuatim legenda sunt, tamen per hoc compositionem non excuso, quia ponit chamomillæ, meliloti, sampsuci, anthos, ana vnc. j. deinde acori, prasii, folio-

rum

rum rubeæ, fileris montani ana vnciam j. In quibus locis legendum eſt ana 3. j. quia vncia nimia quantitas eſſet. Sed & ſpicam Celticam per ſe ponit, quæ tamen vna ſolùm drachma eſt. SENEX. Igitur & hanc compoſitionem ſuſpectam habes? BRASAVO. Habeo. nihil enim aliud eſt, quàm multorum ſimplicium aperientium ſine ordine collectio. SE. Illi igitur, qui hunc ſyrupum pro ſyrupo de matricaria faciunt, ſi à medico ſyrupus de matricaria indicętur, hunc exhibent? Et ſi ille de artemiſia indicetur, etiam eundem exhibent? BRASAVO. Ita facciunt. SEN. Ego vtroſque diſtinctos ſeruo. BRASA. Tamen ad eundem finem valent, & niſi confuſiones potius, quàm compoſitiones eſſent, non multùm curarem, quando tibi indico, vtrum horum acciperes. SEN. Sùntne alii, qui ſyrupos alios de matricaria faciant? BRAS. Nónne ſuperius dixi alias compoſitiones eſſe apud alios? Seruant & Ferrariæ aliam compoſitionem nonnulli. SEN. Quam? BRA. Eſt longiſsima quædam confuſa receptio, quam afferre piget. SEN. In gratiam meam adduci to. BR. Faciam, poſtquàm adeò tibi gratum eſſe video. Ea hæc eſt:

Recipe artemiſiæ
Capillorum Veneris } ana manip. j.
Sabinæ

Chamæ&

Chamædryos
Chamæpityos
Origani
Ozimi
Sampſuci
Calamenthi
Scolopendriæ
Betonicæ
Scabioſæ
Hypericon
Cyperi
Squinanti
Lupuli
Polypodii
Gentianæ
Rubeæ tinctorum } ana manip. j.

Spicæ
Aſſari
Thymi
Epithymi
Chamomillæ
Roſarum
Violarum } ana vnc. j.

Sandalorum rubeorum
Seminum cõmuniũ frigidorum maiorum } ana vnc. ß.

Seminis
Apii
Fœniculi } ana 3. ij.

Petr

| | | | |
|---|---|---|---|
| Petroſelini<br>Ameos<br>Carui<br>Iuniperi<br>Milii ſolis<br>Seminũ Rutę | ana | 3. | ij. |

Hæc omnia bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionem medietatis, ſed prius in ea infuſa hæc per decem horas maneant cinamomi 3. ß. ſerapini, ammoniaci ana drach. ß. dicta gummi ligẽtur in petia, & ſimul bulliant ad conſumptionem medietatis: deinde colentur, & colaturæ addantur mellis purificati lib. vj. & fiat ſyrupus, debito modo coquendo. SENEX. Hic ſyrupus adhuc magis cõfuſus videtur, quàm prę ſcripti. BRASAVOLVS. Confuſiſsimus eſt, & ſimul calida frigidis miſcet ſine aliquo componendi ordine. SENEX. Igitur parandus non eſt. BRASAVOLVS. Non modò non pararem, ſed omnibus ſuaderem vt paratum non haberent: imò nec duos prædictos pararem. SENEX. Ego parabo, quoad collegium medicorum congregatione facta compoſita omnia emendabunt. BRASAVOLVS. Hoc non ab re erit: nempe opus eſt omnibus Ferrarienſibns medicis in concionem vocatis quaſdam pharmacopolarum compoſit

positiones corrigere, alias immutare, alias penitus demere, & in eo potissimùm conari, ne vnus pharmacopola compositionem vnã habeat, alter aliam: sed compositiones eædem esse debent, ne medici rerum ignari indicentes decipiantur. Hoc igitur de matricaria omissõ syrupo, ad alios vtiliores accedamus: nihil enim in componendi ordine tractabo, quoniam syrupus est qui absque compositionum regulis paratur.

SENEX.

*Syrupus myrachinus.*

DE Myrachino igitur dicamus. BRAS. Nomen ipsum rem barbaram esse ostendit, & compositio à compositionum regulis abhorret, quæ (si rectè memini) ex Gentile accipitur. Melius autẽ erit eã proponere, vt error cognoscatur: nam simplicium pondus apud varios Gẽtilis codices, varium inuenitur. Compositionem igitur edisseras. SENEX. Hæc est.

| | | |
|---|---|---|
| Recipe polypodii quercini. | 3. | xx. |
| Buglossæ, Melissæ ana | vnc. | j. |
| Cyperi, Corticum radicũ caparorum, Acori, Assari añ. | vn. | j. |

Senæ

| | | | |
|---|---|---|---|
| Senæ<br>Epithymi | } ana | vnc. | ij. |
| Semina endiuiæ<br>Lactucæ<br>Scariolæ | } ana | vnc. | iij. |

Piſtentur omnia groſſo modo, præter ſenã, & epithymum, omnia alia bulliant in libras quatuor aquæ vſq; ad conſumptionem medietatis. In fine decoctionis adde ſenã & epithymum, & remoueatur ab igne, & dimittas infrigidari: poſtea manibus exprimatur, & coletur, addãtur mellis roſati cum foliis libræ duæ: & fiat ſyrupus ſecundũ artẽ. B R. Miror quòd hic folia ponãtur. nã bene potabilis nõ erit. SEN. Nõ accipimus folia, ſed mel roſatũ ex foliis factum percolamus. B R A. Ob hoc te admonui aliquos eſſe, qui cũ dicitur mel roſatum colatum, ſemper mel roſatum cũ foliis intelligũt, ſed poſtea expreſſum. Nũc ad ſyrupũ ipſum deſcendamus. Aliquæ compoſitiones ſunt, quæ habent polypodii vnc. vj. ſed illas magis laudo, quæ habent polypodii ʒ. xx. In aliquibus, etiam cõpoſitionibus, vbi dicitur bugloſſæ & meliſſæ ana vnc. j. habetur ana manip. j. quod etiam magis quadrat: nam ſimplicia quæ ſequuntur, etiam ſub vna vncia ponderantur. Mihi autem magis placet vna compoſitio, quæ dicit, bugloſſæ,

meliſſæ ana vnciã vnã: poſtea cyperi, corticum radicum caparorum, acori, aſſari ana vnciã ß. SENEX. Illi rectè fecerunt, qui cõpoſitiones carmine tradiderũt. tunc enim pondera variari non poſſunt. BRASAV. Ideo Galenus Andromachum laudauit, qui Theriacam compoſitionem carmine ſcripſit. Vnum tamen in hoc ſyrupo te edocere volo: quanuis dicat omnia ſimul bulliri præter epithymum, & ſenam: ſcito tamen alia eſſe in hac compoſitione, quæ tantam ebullitionem nõ expetant: propter ea in decoquendo ordinem ſerua, quem ſuperius in aliis ſyrupis oſtendimus. Tamen vltimò pone ſenam & epithymum. Primò autem radices, poſtea ſemina, deinde flores iniicito.

SENEX. Semper illum ordinẽ ſeruabo, modò ſimplicia prius infundere non ſit opus.

BRASAVO. Videmur in hoc recẽti ſyrupo nimis immorari.

SENEX.

*Syrupus nenufarinus cõpoſitus.*

SYrupum igitur nenufarinum contemplemur. BRA. Et hic quoq; ſyrupus recentiorum eſt, quippe à Franciſco Pedemõtano fit: quippe illum in capitulo de cura malæ complex

plexionis hepatis ſimplicis & compoſitæ in hunc modum, qui ſubſequitur, deſcribit:

Recipe florum nenufaris vnc. ij.
Vngulæ caballinæ aquaticæ
Pſyllii integri } ana vn. j.
Acetoſæ
Seminum communium 3. ij.
Seminum frigidorum vnc. ſ.
Radicum fœniculi vnc. j.
Bulliant in aqua hordei, & addantur
Zucchari lib. j.
Aceti albi
Succi granatorum } ana vnc. ij.
Et aromatizetur cum
Sandalorum
Spodii } ana 3. j.
Et addatur parum ſpicæ, ne frigiditate oppilationem inducat. SEN. Hunc nenufarinum ſyrupum nunquam paraui, ſed alium ſimpliciſsimum facio. BRASA. Quem? SEN. Libras duas florum nenufaris vna decoctione deco quo: poſtea exprimo, & in expreſsione addo zucchari libras duas, & decoquo ad coctura ſyrupi. BR. Hic magis placet: quia ſemper ſimpliciores ſyrupos fieri voluerim: quippe faci le eſt duos aut tres ſimul iungere, & intētiones immutare: nullus eſt certus author, qui hos ſyruposinuenerit. SE. Propterea nos magiſtrales appellamus. BRASVOLVS. Vtroſ-

*Syrupus nenufarinus ſimplex.*

que parare poteris pro his medicis qui compoſito vti volunt, tamen apud nos eius vſus rarus eſt.

## SENEX.

*Miua cydoniorum.*

MIua cydoniorum in hunc ordinem poſita eſt. BRAS. Et ipſum inter ſyrupos numeraſti? SEN. Numero: nã addita aqua, vt ſyrupus, potabilis fit: & nõ modò eius vſus eſt ad roborandum ventriculum, hepar, & omnia viſcera, & ad vomitum ſiſtendum, & fluxui ventris aduerſatur, imò etiam concoquit materias, & præparat vias: & Auicenna hanc compoſitionem ſyrupum de cotoneis appellat, quanuis Meſue ſyrupum de cotoneis primò proſequatur, deinceps de miua ſermonem habeat. Tamen communis eſt per totam Italiam vſus, vt ea pro ſyrupo de cotoneis vtantur: & re vera mira compoſitio eſt ad roboranda membra. Et niſi Guielmi authoritatem refugeres, tibi dicerẽ eum authorẽ non appellare miuã, ſed ſyrupũ de cotoneis. Præterea tibi Almanſoris nonũ librum adducerem in libro diuiſionum, in ca. de medicinis ſolutiuis ventris, vbi inquit: Cõfectio miuę cõſtrictiuæ, quę eſt ſyrupus de cotoneis. BR. Videris ex pharmacopola factus dialecticus, vbi probare miuam ſyrupũ eſſe conar

conaris, vel bibi, vt syrupi bibuntur. Hoc autem non inficior, sed id tantùm me mouebat, quòd hoc vocabulum miua apud Mauritanos succum fructuum significat adeò coctũ, vt in formam sapæ, vel mellis deuenerit. In reliquis tecũ sum, miuam esse potabilem, esse concoquentẽ malos succos, imò syrupum verè esse, quia ex succo fit. Sed ne pigeat compositionem, quam facis, aperire, & componendi modũ. SEN. Mesuen penitus sequor, propterea in hunc modum paro:

Recipe succi cydoniorum acetosorum ℔. xx.
Vini boni antiqui ℔. x.

Misceo, & cum facilitate coquo, donec eius tertia pars cõsumpta sit, & cõtinuè spumam aufero: deinde percolo, & residere permitto donec claresçat: postea addo ℔. sex boni mellis depurati: iterumque bullio, spumam semper auferens, & Alefanginas species in lineo panno vinctas habeo, quas in prædictum liquorem suspendo, sæpe stringens atque modice fricans, vt specierum vis facilè exire possit, & miuam transire. Cùm in spissiorem formam redacta est, & iam facta sit miua, ipsam aromatizo, tertiam partem drachmæ moschi addens, & duas 3. gallæ. BRASAVOLVS. Quæ sunt istæ Alefanginæ species? SENNEX. Hæ, quas hic subscribam: *Alefanginæ species.*

Recipe cinamomi } ana 3. iij.
Heil }
Caryophyllorum 3. ij.
Zingiberis } ana 3. j. ß.
Maſtiches }
Croci 3. ij.
Ligni aloes } ana 3. j. ß.
Macis }

Omnia præter crocum terantur contritione craſſa, & in lineum pannum colligentur. BR. Tot res ponis in tua miua? SEN. Tot. BRAS. Nunquam ea vtar in profluuio alui à calida materia dependente. Illi autem pharmacopolæ mihi magis placent, qui ſimpliciſsimã parant, ex cydoniorum ſucco, vino & melle, vel zuccharo: quia multi ex zuccharo faciunt, & non ex melle, quanuis antiqui Græci miuam ex melle conficerent, quia zuccharum ignorabant. SEN. Antiquiores igitur miuam nouere? BRASAV. Nouere quidem, & ab ipſis Mauritani accepere: ſed alio nomine eam vocant, & alia proportione conficiunt. Nempe Paulus lib. VII. cap. xv. hydromalum fieri docet in hunc ferè modum:

*Hydromalum.*

Accipe ſucci malorum cydoniorum mundorum contuſorum ſextarios duos.
Mellis ſextarios tres.
Aquæ ſextarios ſex.

Coquito deſpumãs vſq; ad tertias. Vides Paulum

lum vini loco, quod Mesue ponit, aquam posuisse. Alio etiam modo parabant (vt Paulus refert,) nempe accipiebant malorum cydoniorum conciforum purorum lib. v. in aquæ fontis sextariis decem elixabāt, donec omnia essent vnum corpus: postea refrigerabant, & colabāt: expresso autem cremore, mala proiiciebant, & aquam metientes, mellis quantitatem dimidiam aquæ admiscebant, & rursus coquebant, assiduè despumando, donec octaua pars euanescat decoquendo. SEN. Tibi fortè placeret, vt in hunc modū pararem? BRAS. Et mihi placeret, & aliis multis bonis viris, vt miuam his simplicioribus modis confíceres. Si autem pro aliis compositam illam, quæ magis calida, quàm temperata est, parare volueris, facito: nam vbi possum antiquos imitari, semper imitor. SEN. Quid significat id vocabulum Alefangine? BRAS. Vocabulum est Mauritanum, & etiam corruptū, quo ipsi pulueres odoratos intelligunt, quibus cibaria condiuntur: vt sunt apud nos species ex pipere, cinamomo, caryophyllis, zingibere, atque similibus. Tamen ad pulueres etiam vsurpant, qui vel actu vel virtute cōpositiones ingrediuntur. Hic puluis, quem Mesue in miuam ponit, certè odoratus valde est, & miuæ tribuit, vt possit tanquam intinctus comedi. SEN. Equidem verum est. nam re vera est

*Alefangine quid significat.*

optimus intinctus. BRA. Ego quandoq; mi-
uam exhibeo his, qui habẽt ventriculum de-
biliorem, cum carnibus, ſicut alii ſolent intin
ctus vti, quos Sapores vocant, nec reſpuunt
ęgri, & illis plurimùm prodeſt. Sintne hi pul
ueres prędicti, illi qui Alefanginas pilulas in-
grediuntur? SEN. Sunt pro parte, ſed mul-
ta alia aromata, & ventriculum roborantia
pilulas ingrediuntur, vt videre licebit, cum
de pilulis agemus. Libenter autem ſciré quid
*Heil.* ſit Heil: nam recentes inquiunt eſſe ſpeciem
cardamomi, quam non habemus, cuius loco
cardamomum maius accipimus. BRAS. Imò
heil cardamomum maius verè eſt, ſi Serapio-
nem capite LXIIII. de ſimplicium facultatibus conſiderabis, vbi inquit: Sacolla, id eſt,
cardamomũ, & cardamomũ maius eſt heil.
Eſt autem apud Arabes verum cardamomũ
maius, id quod pharmacopolæ minus appel-
lant, quia eſt granum magnum plura parua
grana continens. Propterea bene dicit Sera
pio ſecundũ Iſaac hebem Abrahã, quòd ha-
bet cortices & capita ſicuti roſa, & ſunt gra-
na magna ſicut nabach, aut parum maiora,
& intra ipſum ſunt granula parua anguloſa
bõni odoris, pinguia pulueruléta. SEN. Certè
hæc grana anguloſa noſtrum cardamomum
minus ſunt. BRA. Sunt (vt dicitis) tamen eſt
cardamomum maius Serapionis, quia ipſe

deno

denominat à grano magno, in quo alia grana cõtinentur. Scito autem aliquos pharmacopolas ſecundum Meſuen, miuam parare, quam ipſe ſimplicem appellat, & non primã, ſine ſpeciebus, cuius compoſitio recipit ſucci cydoniorum ℔.centum, & ponitur in vas lapideum mundũ, & cum facilitate bulliunt, ſemper ſpumam auferendo, vſq; ad conſumptionem medietatis, deinde colãt, & per tres horas reſidere dimittunt: poſtea addunt vini antiqui ℔.lx. poſtea ſupra prunas coquũt, quouſque ſyrupi ſpiſsitudinem habeat: addenda autem eſt conueniens quantitas mellis: nonnulli ex noſtris pharmacopolis hanc miuam ex zuccharo, non autem ex melle faciunt: alii ex melle: alii præſcriptam pro ſimplici faciunt, & nõ addunt pulueres, & ex zuccharo faciunt, alii ex melle, alii faciũt (vt tu) cum ſpeciebus: vt in hac cõpoſitione tanta diuerſitas ſit, vt nullus ferè eodem modo paret: tamen Medici nec ſciunt, nec animaduertunt, vel animaduertere curant. Vnum verò hoc loco annotabis, quòd dicit has Alefanginas ſpecies eſſe triturandas groſſo modo, ob eam rationem, quia cùm in ſyrupos vires ſpecierum aromaticarũ ponuntur, non ita facilè reſoluuntur. Hoc documentum & hic accipio, & ex compoſitione melicrati, vt ſi confectiones aromatizari debent, pulueres

necessariò subtilissimi sint, propterea in Ale fanginis pilulis pulueres subtilissimos facies. Fiunt autem à Serapione nonnulli syrupi de cydoniis, & ab Auicenna, qui ab his multùm differunt, ideò omittantur: suaderemque vt Pauli Aeginetæ compositionem sequeremur: quam pro ægris meis para. pro illis autẽ medicis, qui barbaros sequi volunt, ne dicã mendicis, tuam miuam para. SEN. Ego illam Pauli pro omnibus parabo: nullus enim ex his inuenitur, qui cõpositiones scire voluerint, sed tantùm compositionum nomina addiscunt, indicuntque, quid indicent ignorãtes. Ne autem in hac miua diu immoremur, ad alios syrupos flectamus.

SENEX.

*Oxymel simplex.*

OXymel simplex & compositum sequuntur. BRAS. Apud vos multa esse puto, sub hac voce oxy, quæ acetum recipiunt. SE. Multa quidem sunt, quæ in nostra arte acetũ recipiunt, sed tantùm quatuor sunt, quæ ab ὄξος voce Græca, id est, aceto, denominationem sumunt, & ab ea incipiunt. BRA. Hæc enumera, ni pigeat. SEN. Oxymel simplex, oxymel compositum, oxyzacchara, oxymel scylliticum. BRAS. Ab oxymelle simplici incipere oportet: nam potus antiquissimus est, quo Hippocrates & Galenus vtebantur, pro expurgando splene, & hepate, vt Galenus testatur,

flatur, pro incidendis materiebus crassis,& glutinosis, & quæ multùm inhærent: nempe subtiliat,aperit,incidit,abstergit, & in ægritudinibus longioribus plurimùm valet:estq; antiquus syrupus. SEN. Hi syrupi mihi summè placent,qui aliquid antiquitatis sapiunt: nam facile est illos emendare, si error incide rit,cùm Græci authores nunc passim habean tur. BRAS. Hippocrates lib. III. de ratione victus in morbis acutis, egregiè de oxymelle pertractat,inquiens in illis morbis,scilicet acutis potissimè vtilem esse: nam sputũ educit,& spiritũ faciliorem reddit. Notatq; Hippocrates & valde acidum,& non valde acidũ fieri posse. Si valde acidum sit,adstringit sputa,& viscosiora reddit,& submergit:ideò hoc exhiberi non laudat: si autem exhibueris,tepidum sit, & paulatim tribuas. Si verò adeò acidum nõ fuerit,os & fauces humectat,sputum euocat, sitim compescit, præcordiis,visceribus,cæterisque id genus partibus amicũ est:quia mellis noxas prohibet:nam quod in melle bilioſum est,reprimit,& flatus discutit, & vrinam ciet. Post hæc ab Hippocrate eius noxæ ponuntur. Notaque hoc in loco Hippocratem,oxymeli ante sorbitiones, ieiuno, & noctu potandum dare, quæ communis est hora sumendi syrupos. Tamen & post sorbitiones propinat,sed longo spatio,vt sorbitio

iam

iam cocta sit. SEN. Quid intelligis per sorbitionem apud Hippocratem? BR. Nihil aliud quàm cibū, quem in morbo acuto dabat, qui erat vel ptisana vel tremor, vel aliquid simile, quod per modū potus sumebatur: quanuis Galenus ipse tempus assignet, velitque inter potum oxymelis, & sorbitionem duas horas interponi satis esse. Sed & multa alia ab Hippocrate notantur, inter quæ hoc præsertim animaduersione dignum est: quandoque in toto morbo nosvti oxymeli opus esse, ideò inquit, tunc cum pauco aceto parandū esse, quia cum multo aceto plures offensiones facere potest. Quanta autē aceti quantitas esse debeat, ab Hippocrate regula habetur, Tantum aceti recipere debet, vt gustanti duntaxat sensum moueat. Vnum etiam addam ex Hippocrate, eodē loco, his scilicet magis conferre, quibus amara bilis potius, quàm atra exuperat, quia acetū atram bilem parit. Notatque oxymeli mulieribus potius, quàm viris obesse. Rationem reddit, quia vterum dolore cruciat. SEN. Reperitúrne apud Græcos modus conficiendi hunc syrupum? BRA. Imò reperitur: sed tu in primis quem modum sequaris edoceas. SEN. Nos Mesuen sequimur, qui in hunc modum componit: appellat autem Secaniabim, vel Stangebim secundum alios, vel Squingebim, sed decipiuntur. BRA.

*Stangebim. Squingebim.*

Quicq

Quicquid sit de illis barbaris nominibus nō curemus: sat est, illa nomina apud Mauritanos syrupum acetosum significare. SEN. Mesue accipit mellis boni partes duas, aceti boni partem vnam, aquæ fontium claræ & dulcis partes quatuor. Primò autem aquam & mel accipimus, & purificamus semper expumando: postea acetum superadditur, & ita ebulliendo expumamus, & hoc oxymel simplex nuncupatur. BRAS. Et etiam ab aliquibus Græcis oxymeli simplex dicitur: quanuis absoluto vocabulo, cum oxymeli dicunt, hunc intelligant ad differentiam oxymelis Scyllitici & Iuliani: Latini appellant acetum mul sum. Paulus capite XL. libri VII. de hoc oxymeli tractat, cui cognomentum est simplex. Compositionem facit ex acerrimi aceti candidi xesta vna, aquæ xestis duabus, mellis xesta vna: hæc simul decoquit, semper despumando ad crassitudinē mellis. Inter hos differentia est, quia Paulus magis aceti ponit, quàm Mesue. Sunt enim apud Paulum æquales partes mellis & aceti, & duplum aquæ, sed Mesue duplum aquæ ad mel ponit, & aceti minus quàm mellis. SEN. Quomodo deinceps parabo? BRA. Ego Paulum imitandum suaderem. Tamen Dioscorides libro IIII. alio modo conficit: nempe recipit aceti sextarios quinque, marini salis pondo vnum, mellis

*Acetū mul-sum.*

lis pondo decẽ, aquæ heminas totidem. Miſtaque ſimul omnia coquito, vſq; dum decies inferbuerit: tum refrigerata omnia in dolia diffundito. Sed hanc̃met compoſitiõnẽ Plinius libro XIIII. cap. XVII. ſcribit, ſed ipſe genus aquæ ponit. Quod enim Dioſcorides generali vocabulo dicit, aquæ heminas decẽ, Plinius dicit aquæ pluuiæ. In reliquis parua differẽtia eſt. Hæc ſunt Plinii verba loco præcitato ne deſideres: Oxymeli hoc vocarunt, mellis decẽ libris, aceti veteris heminis quinque, Salis marini libra, aquæ pluuiæ ſextariis quinq; ſufferuefactis decies, mox elutriatis, atque ita inueteratis, ſed & hoc, & hydromeli à Themiſone ſummo authore damnabantur. SENEX. Tu ergo ne arguas recentiores, nec de ipſis mireris, ſi diuerſas compoſitiones ſequuntur: cùm & antiqui ipſi (vt in hac videre licet) in eadem re varias compoſitiones haberent. BRA. Imò & Plinius alium modũ oxymelitis edocet capite ſecundo libri vigeſimitertii ex ſententia Dieuchis. Verba eius hæc ſunt: Oxymel antiqui (vt Dieuches tradit) hoc modo temperabant, mellis heminas decem, aceti veteris heminas quinque, ſalis marini pondo, thymbræ quadrantem, aquæ marinæ ſextarios quinq; pariter coquebant, decies deferuefcente cortina, atque ita diffundebant, inueterabantque. Suſtulit totum id

*Oxymel Dieuchis.*

Aſcle

Aſclepiades, coarguitque: nam etiam in febribus dabāt: profuiſſe tamen fatentur contra ſerpentes, quos Sepas vocant, & contra meconium, ac viſcum, & anginas calidū gargarizatum, & auribus, & oris, gutturisq; defideriis. Hactenus Plinius. SEN. Quem ergo, in tanta varietate ſequi oportet? BRA. Certum eſt apud antiquos de eadem re compoſitiones varias fuiſſe, ſed vnam pro maiori parte ſequebantur. SEN. Eia quam compoſitioné parabo? BRA. In hac re quid ſentiam audies. Antiqui oxymeli vario modo cōpoſuere, cū pauciori melle, cum pluri, cū acriori, cum minus acri: vt ægritudo, quam curabant, exigebat. Quod ex Hippocrate præcitato loco manifeſtiſsimè colligitur, & ex Galeno IIII. libro de ſanitate tuēda, & ex ipſo Meſue, qui inquit, quandoque augendā aceti doſim, & ex Serapione, & Auicenna, imò & ex tota Arabum ſchola, à Græcis authoribus accipiente. SEN. Erit ergo incerta componendi regula. BRAS. Imò certiſsima, qua guſtum ſequebantur. Propterea Galenum audias loco præcitato de oxymeli dicentem: Id ita præparari debebit, Cūm melli optimo ſuper carbones ſpumam abſtuleris, coniicies in ipſum aceti tantum, vnde guſtanti nec acidū nimis, nec dulce videbitur. Ac denuò ſuper prunas coques, quoad planè vnitæ amborū

qual

qualitates sint, nec appareat gustanti acetum adhuc crudum, hinc ab igni depones. Cumq; vti voles, aquam ei miscebis, ita nimirū temperans, vt vinum. Ergo qui bibet, si nec de acore eius queritur, nec dulcedine, assiduè eo vtatur: sin alterutro offenditur, adiecto quod desideratur, rursus id coques. Neq; enim eos probo, qui sub vna quapiam mensura id cōficiunt, qui mihi similiter iis affecti videntur, qui bibentes omnes similiter aquam vino miscere censent: non aduertentes, quibusdam, vtique qui dilutiori insueuerūt, caput statim si vel pusillo meracius hauserint, tentari: quibusdam, qui meraciore delectantur, stomachum, si dilutius biberint, subuerti. Cùm igitur in vino tam familiari potione ista incidant, multo sanè magis in oxymelite, vtpote quàm vinum tum minus familiari, tum magis forti, ipsa sequi par est. Satius ergo sit ex sumentis gustu, non nostro, iudicium de modo facere: id esse sumētis naturæ conuenientissimum oxymeli ratos, quod vtique est iucundissimum, proindeque etiam vtile: contrà aduersissimum esse, quod iniucundū. Galenus hactenus. Ex quibus percipere potes, ex gustu etiam alieno oxymel parare. SEN. Ergo nullam certam oxymelitis compositionem habebimus, quam seruare possimus? BRA. Idem Galenus (prædictis verbis nō obstantib

ſtantibus) quaſdam cõpoſitiones docet, quæ pluribus conueniunt, ſed hæ ſunt primæ miſtiones, quia deinde ſecundũ varios guſtus immutare oportet. Ideò inquit: Ipſam tamen primam ipſorum miſtionem, quò plurimis conueniat, talem eſſe oportet: Vni aceti parti, mellis, à quo detracta ſit ſpuma, duplũ eſt miſcẽdum: deinde ambo in leni igni coquẽda, donec eorum qualitates in vnũ coierint: ita enim nec acetũ amplius crudum apparebit. Cũ aqua verò ſtatim ita facies oxymeli: Melli quadrupũ optimæ aquę miſcebis: deinde coques in modico igni, quoad ſpumare deſinat. Ac malũ quidem mel multam egerit ſpumam: quò etiã diutius coqui debebit. Optimum verò vt breuiſsimo tempore coquitur, ita minimũ ſpumæ euomit: vnde nec pari ei coctione eſt opus: plurimũ certè quartã partem eius quod ab initio eſt inditum, amittit: poſt verò dimidio aceti adiecto, rurſus coquendũ, donec qualitatũ omnino ſit vnitas, nec acetũ crudũ etiã appareat. Poſt hæc aliã compoſitionẽ ponit Galen. inquiens: Cõficitur ſanè oxymeli etiã tribus ſtatim ab initio miſtis, ad hunc modũ: Aceti vni parti additur mellis duplũ, & aquę quadruplum: atque hæc ad tertiã partem coquuntur, vel etiam quartã, ſpuma interim detracta. Quod ſi valentius id facere ſtudes, tãtundẽ iniicies ace-

ti, quantum mellis. SE. Hic est modus, quem Mesue docuit. BRA. Certè is est, & etiam ille Pauli: nam si mel, & acetum æqualia sint, est modus Pauli. Si autem acetum sit minus, est modus Galeni, & Mesuæ. SE. Igitur hunc Mesuæ modum parabimus? BR. Hũc Mesuę conficito, quia est Galeni modus. Sed bonus medicus addere acetum, quãdo opus est, debet. At quia multi sunt, qui aquam & mel accipiunt, & vsque ad cõsumptionem ferè aquæ semper expumãdo ebullire faciunt, antequã ponant acetum: propterea magis laudo, vt in primis, secũdum Galeni normam, mel despumetur: postea aqua addatur, & bulliant semper despumando, quousque sint duæ ℔. aquæ consumptæ, vel aliquid magis: postea addito aceto iterum bulliant, non, vt dicit Galenus, ad tertiam partem, vel ad quartam: sed quousq; syrupi formam habuerit, vt seruari possit. SEN. Non vis ergo vt antiquos penitus sequamur? BR. Vbi melius inuẽtum sit, semper melius sequor. Vides autem antiquos in hac re inuicem esse diuersos: sed melior forma, & ad conseruandum aptior, & quæ pluribus possit, hæc est, quam Galenus edocuit, & quam Mesue, Serapio, & Auicenna secuti sunt: nec etiam illa Pauli parum cõgruit. Modus autem conficiendi, quem diximus, scilicet ad coctũram syrupi, magis conueniens

est

est quàm ille Galen vel Pauli. S E. Arabes igitur ita iurgiis afficiendi non sunt. B R. Imò in condiendis rebus, & in variis compositionibus maximè præstant: nec vnquam illuc duci potui, vt de ipsis male diceré: cùm in multis & ipsi nostram artem iuuerint. Illos tantùm redarguo, qui in gratiam Arabum, eos despiciunt, qui bonas literas sectantur. Nũc ad oxymeli compositum veniemus, si in primis me admonueris, an ex zuccharo vel melle, hunc syrupum præpares. S EN E X. Semper ex melle, & hunc, & oxymel compositũ conficimus: tamen non desunt, qui ex zuccharo parent. B R. Scio, & Hermolaus Barbarus voluit hoc appellari Oxyzacchar, quanuis alia res sit vocata oxyzacchara, de qua posterius dicemus. Nunc de oxymelle cõposito agẽdum est, cuius descriptionẽ enarra. S E. Ego Mesuen sequor: nam alii multi sunt, qui illũ non sequũtur. B R. Id scio. Tu descriptionẽ quam sequeris, proponas. S E N. Hæc est:

*Oxymel cõpositum.*

Recipe corticũ radicum Apii } añ. vnc. ij.
Fœniculi
Seminis Anisi } añ. vnc. j.
Apii
Fœniculi

Mundẽtur cortices, & terãtur, & proiiciantur super eas in vase lapideo positas aceti boni antiqui & albi ℔.x. aquæ ℔.xx. & dimit-

tatur per diem & noctem: deinde coquatur, donec eius tertia pars cõsumatur: postea colatur, & proiiciatur super ipsum mel, quod sit medietas eius, & coquatur cum facilitate. Hæc Mesue, quẽ sequor. BRA. Tamen multi sunt, qui alio modo parãt, nempe quinq; radices accipiunt, & hoc modo ordinant:

| | |
|---|---|
| Recipe Corticũ radicũ Apii<br>Fœniculi<br>Petroselini<br>Bruſci<br>Asparagi | an. vnc. ij. |
| Seminum Apii<br>Fœniculi | ana vnc. j. |

Prædictæ radices cum seminibus in lib. xij. aquæ, & ℔. j. aceti decoquantur, quousq; ad medietatẽ resoluãtur, aut paulò plus: deinde cum melle quantũ sufficit ad syrupi formã ebulliant: sed hic syrupus cum eo de quinq; radicibus cum aceto plurimùm cõuenit, si ex zuccharo factus esset: si autẽ absq; aceto fiat, cum illo de quinque radicibus sine aceto cõuenit. SEN. Audiui quosdã, qui seminum loco vnc. j. ß. radicũ raphani addidere. BRASA. Equidem nonnulli sunt, qui ita parant, sed potius in gratiam quorundam medicorum, quàm quòd ita cõmuniter parari possit, aut debeat. Alii etiam sunt, qui semina penitus derelinquunt. SEN. Reperitúrne apud anti-

quos

quos hic syrupus? BR A. Non, quod sciuerim: quanuis apud antiquos sub oxymellis nomine multæ cõpositiones inueniantur, sicut est oxymel Iuliani, in quem plura ingrediũtur: cuius meminit Galenus ad Glauconẽ in cura podagræ à bilioso humore factæ, & Paulus lib. III. cap. XIII. Aderat & oxymel splenicum ad spleneticos optimũ, & oxymel pro calculosis, quorum compositionum Paulus lib. VII. cap. XI. meminit. Nos autẽ hæc duo solùm prædicta in vsu habemus. Optarim autem vt splenicum paratũ seruares: nam optima cõpositio est ad spleneticos, & clausa vehementer aperit. S B. Si compositionem edoceueris, in tuam gratiam parabo. B R. Hæc est, quam dicã, à Paulo præcitato loco sumpta:

*Oxymel Iuliani.*

*Oxymel splenicum.*

*Oxymel pro calculo sis.*

Recipe corticis Radicis
Scolopẽdrii (capparis
Assari
Ireos
Florũ iunci rotũdi odorati
Florum cyperidis
Anisi
Cymini
Fœniculi
Acori
Fructus erices
} singulo. vnc. j.

Foliorũ tamaricis
Salicis
} vniuscuiusq; vn. ij.

Radicis Apii
Dendrolibani } vniuſcuiuſq; vnc. ij.
Scyllæ
Aceti xeſta vna Mellis xeſtis tribus.
Guttæ Amoniaci Thymiamatis.

Præpara ad modum Scyllitici, & da cochlearia duo. SE. Multa ſimplicia enumeraſti, quæ an habeam, & quid ſint ignoro. BR. Omnia habes partim in examine enucleata, partim quando parare volueris, edocebimus. Interim oxymel ſcylliticũ tractemus. Sed hoc cõmodius fiet, ſi acetũ ſcylliticũ in primis pertractauerimus. SE. Scire autem cupio de oxymelle compoſito, ad quid vtile ſit. BR. Ad omnia ad quæ ſimplex: ſed vehemẽtius ad febres antiquas, bilẽ craſſam, atq; pituitã attenuat, & omnes obſtructiones, præſertim ventriculi, iecoris & ſplenis aperit, vrinam mouet, calculoſis prodeſt. Quod etiã Arabes fatentur. Sed tuũ modũ aceti Scyllitici enarra.

*Acetũ ſcyllitícum.*

SE. Ego Meſuẽ præciſe imitor: etenim ſcyllæ cortices accipio, nec intrinſecas nec extrinſecas, ſed medias inter eas quæ in cẽtro ſunt, & quæ in circũferẽtia, et acu ſimul cõſuo linea, & XL. dierũ ſpatio in vmbra ſiccari permitto, poſtea ligneo cultro in fruſta comminuo, & pro omni libra huius cõminutæ ſcyllæ, aceti boni lib. VIII. iniicio, & in vas vitreatũ arcti orificii impono obturoq;, et deinde per alios

XL.

XL. dies Soli expono, postea colo. Itaque acetum præparatum est. Antiqui autē præparábantne hoc modo? BR. Paul. lib. VII. cap. XI. hoc modo conficit: Accipe scyllæ candidæ in minutas partes concisæ, & diebus XL. in vmbra exiccatæ & rursum purgatæ, minas sex, aceti boni xestas xij. operculato vase ponas sub solem per dies LX. quibus transactis scyllam expressam abiice, & acetū excolatum in vas reponito. SE. Inter hoc Pauli & illud Mesuæ multa differentia non est. BR. Non equidem. Alii etiā confic iendi modi à Paulo edocentur: nempe aliqui scyllæ minam vnam in aceti xestis sex recipiebant. Alii viridis scyllæ idem pondus in sex aceti minas condunt, quod tamen cæteris acutius est. SEN. Paulus mentionem non facit quòd medii cortices sumi debeant. BR. Subintelligere oportet, & à Dioscoride lib. IIII. animaduertitur, vbi hanc compositionem scribēs, inquit: Scylla, quæ sit alba deligitur, huius crudæ direptis duris & extrinsecus positis omnibus, teneram medietatem per minutas partes recidunt, & filo suspendunt ex interuallo, ne se contingant segmenta per dies XL. in vmbra, donec assiccentur: deinde cum arida erunt, in aceti optimi xij. sextarios mergunt, vt diebus septem patiaris esse sub Sole, obturatis diligenter vasis: post eum numerum die-

sum scylla eximitur, calcatur, abiicitur, acetum ipsum eliquatur, transfunditur, reponitur. SE. Video apud antiquos in tempore expositionis ad solem differentiam esse. Cur autem medios cortices, & non extremos accipiunt? BR. Hoc non immeritò faciunt, quia superficiales partes tũ nimis siccæ sunt, tum ob Solis ardorẽ & actionẽ venenosæ effectæ sunt: partes verò, quæ apud centrũ sunt, humiditate nimia abundãt. Vnumq; adde, non esse recipiendos cortices nimis crassos, nec nimis subtiles, sed scylla, quam sumis, mediocrem substantiã habere debet. Tamẽ & Dioscorides aliorũ compositiones recẽset. Nẽpe aliqui pondo scyllę in sextarios aceti quinq; demittunt. Nec deerant, qui acerrimũ acetũ pararent alio modo, quàm coficeret suũ acre Paulus: etenim repugnãt tunicis cortices, & exarescere nõ permittunt, statimq; musteas ac recẽtes alias pari mẽsura cõiiciunt in acetum, & initio VII. mẽsis eximũt. SE. Hoc acerrimum esse debet, vt ferè gustu tentari non possit. BR. Tamen eo antiqui vtebantur. SE. Gaudeo cum viderim & antiquos in suis cõpositionibus diuersos, vt nullus inueniatur, qui eandem compositionem eodem modo confectam paret. Recentes igitur reprehendendi non sunt, quoniam & hoc semper fuit antiquorum vitiũ. BRAS. Si tu antiquorum

comp

compositiones contemplaberis, statim inue-
nies diuersitatem esse, quia compositio efficacior, & minus efficax redditur: quas diuersitates medicus cognoscere debet, ne ineffaciori remedio vtatur, quando efficaciori indigemus, & ecõtrario. In recentiorum autem cõpositionibus diuersitas est in simplicibus, quæ aliam intentionẽ pharmaco tribuũt, & quę morbo potius cõtraria est. Hoc est, quod varias compositiones dãno, non quia nõ nouerim antiquos etiã pro varietate ingeniorum & diuersarum ætatum cõpositiones immutasse: hoc enim in nostra hac facultate vsu venit, vt aliqui in qualibet ætate nascantur, qui sibi arrogent. Vnde Plinius medicinã artem Interpolé appellat: hi (vt videantur potius quàm sint) omnia immutãt, omnia peruertunt, adeò vt multis occasionem dederint hanc artem inconstantissimam appellandi, quum nulla constantior, firmiorve sit. SEN. Succurritne tot affectibus, quot Mesue enumerat hoc acetũ? BR. Imò & pluribus quàm à Mesue dicantur: nam Plinius cap. 11. libri XXIII. inueteratum magis probari docet, & prodesse acescentibus cibis. nam gustatũ pœnam eam discutit: etiam prodesse his qui ieiuni vomũt. nam callum faucium facit, ac stomachi: odoré oris tollit, gingiuas adstringit, dentes firmat, coloré meliorem præstat: tar-

ditatem quoq; aurium gargarizatione purgat, & transitum auditus aperit: oculorum aciem obiter exacuit, comitialibus, melancholicis, vertiginosis, vuluarum strãgulationibus, percussis, ac præcipitatis, & ob id sanguine conglobato, neruis infirmis, renũ vitiis perquam vtile, cauendũ exulceratis. Adde à Dioscoride plura alia dici, quàm à Plinio scripta sint: sed in genere vehementer incidit. SEN. Quum apud authores tot diuersitates inueniantur, quomodo confecturus sum ego? BRA. Apud Latinos diuersitates solùm in tempore sunt. SEN. Fuerẽne alii antiquiores Latini, qui præter Plinii de hoc aceto tractarent? BR. Columel. lib. XII. capite XXXIIII. acetum scyllitici, & eius compositionem edocet, parum à Plinio differẽs, nisi in numero dierum, quo insolatur. Palladius in Iulio mense capite octauo, de hoc aceto agit, & præparandi modum ostendit: qui & ipse in diebus insolationis differt. SEN. Plinii locum non indicasti, quo hoc acetum parare docet. BRASA. Et locum indicabimus, & verba afferemus, vt eius more conficere possis. Locus est XX. lib. capite IX. Vbi de scylla agit, inquiens: Scyllarum in medicina alba est quæ masculus, fœmina nigra: scylla quæ cãdidissima fuerit, vtilissima erit. Huic aridis tunicis direptis, quod reliquũ è viuo est, con-

sutum

ſutum ſuſpènditur lino modicis interuallis. Poſtea arida fruſta in cadũ aceti quàm aſperrimi pendentia immergũtur ita, ne vlla parte vas contingant. Hoc fit ante ſolſtitiũ diebus XL VIII. Gypſo deinde oblitus cadus ponitur ſub tegulis, totius diei ſolem accipientibus. Poſt eum numerum dierum tollitur vas, ſcylla eximitur, acetum transfunditur. SEN. A Meſue non parum differt, is tamen non eſt. Hoc etiam loco Plinius eius vires deſcribit, inter quas hoc mirum dictu ponit: Sed tanta (inquit) vis eſt, vt auidius hauſtum extinctæ animę momento aliquo ſpeciem præbeat. SEN. Mirum dictu hoc eſt. BRA. Mirum quidem, ſed non impoſsibile: nempe & noſtro tempore huius generis ardentes aquæ parantur, quæ ſemimortuos per aliquod tẽporis ſpatium reuiuiſcere faciunt. SEN. Scio, & iam ego tuo nomine paraui. BRA. Aliàs paraſti. Nũc verò vnam ab aliis diuerſam parare incipies in gratiam illuſtriſsimi & excellentiſsimi HERCVLIS Ducis Ferrariæ quarti, quem nobis Deus optimus diu ſeruet, de qua mira plerunque vidi, adeò vt tres guttæ quãdoq; aliquem adeò reuiuiſcere fecerint, quòd domui ſuæ opportuna diſpoſuit, teſtatus eſt, & trium dierum ſpatio adhuc ſuperuixit, qui debebat eadem hora mori. Nonnullique Carmelitæ indicarunt hâc compoſition

sitionē eam esse, qua Clemens septimus Pontifex maximus vita ferè destitutus, per aliquot dies superuixit. Sed Deus optimus, qui gregem suum ab eo pastore liberare voluit, huius aquæ vires confregit. Tamen hæc compositio, quam faciemus, illa adhuc potentior est, quam pontifex hausisse dicitur. SEN. Quidam author noster, qui Seruitor inscribitur, alios quosdam modos acetum scyllitic̄ parandi docet: at ego quē imitari debeā ignoro. BRA. Quum antiqui inter se dissidentes sint, & potissimùm in tempore, quo insolatur: propterea à tua consuetudine te dimouere nescirē, vt Mesuē sequaris, qui à Grēcis, & Latinis parum euariat, & in tempore insolādix L. dierum spatium accipit, quod tempus apud medicos in pluribus criticū est. Scias autem quemadmodum mulieres nostræ singulis annis oleum rosaceum parant, vt eo per totum annum vtantur quando opus erit, ita antiquiori tempore quisq; acetum scyllitic̄ pro vsu domus conficiebat, nec paulatim exhibere verebantur quousq; ad cyathū vnum & duos sumerēt. Sed de hoc aceto satis. SEN. Igitur de oxymelle scyllitico loquamur. BR. Loquamur, postquā Græci, Latini, & Arabes de aceto scyllitico inter se differunt. Sed quo modo hoc mel scylliticum paras? SENEX. Mesuen sequor, nempe accipio mellis despu

mati

mati libras tres, aceti scyllitici libras duas, simul coquo cum facilitate, semper despumãdo, quoad perfectam syrupi formam habuerit. Quo confecto, ad medicos vsus seruo, quando materiæ valde frigidæ sunt, valde glutinosæ, & tenaces, & quæ in locis sunt, à quibus difficulter euelluntur: valet etiam ad ventriculi, capitis, & viscerum ægritudines, ad vesicæ mollificationem, & ad eructationem acetosam. BR. Quomodo sine aqua cõficere potes? SENEX. Ego aquam non addo. BR. Ego autem addendã puto, vt postea semper despumando coquatur: & hoc est, quod Mesue dicit, & perficitur decoctio eius, vt diximus in speciebus secaniabim. Ibi autem aquam ponit. Ideo iudico, quòd aquæ libras IIII. iniicere debeas. Nã sicut in secaniabim de radicibus aqua est duplũ aceti, ita hic aqua duplum aceti esse debet, etiam aqua in simplici secaniabim acetũ in maiori copia superat. Sed quod dixi, satis est. Sẽper autẽ ob perfectiorẽ coctũram aquã iniicerẽ, & ob eã causam, quam dicit Mesue in oxymelle simplici. SEN. Deinceps semper ita agam. Antiquiores autem de hoc oxymelle scyllitico tractarúntne? BR. De hoc nunquã, sed Paulus Aegineta lib. VII. c. XI. alterius oxymelitos scylliti ci meminit, quod in tua officina confectum voluerim, appellabiturque oxymeli scylliti-

cum

cum compositum. S E. Eius compositionem, ni pigeat, edoce. B R. Hæc est, quam dicam:

Recipe Interaneorũ mollium Scyllæ li. ij.
Aceti acrioris albi xestas xv.
Piperis
Petroselini Macedonici } ana vnc. ij.
Dauci Cretici
Ameos
Anisi
Nardi Gallicæ
Libystici
Assari } ana semissem.
Cardamomi
Spicæ nardi
Amomi
Rha Pontici
Fœniculi
Seminis Cymini
Laserpitii
Zingiberis
Pyrethri } ana vnc. j.
Hyssopi Cretici
Costi
Pulegii
Menthæ viridis, fasciculum vnum.
Rutæ viridis tenerioris caules quinq;.
Mellis Attici xestam vnam.
Hepsematis, id est, sapæ, xestas duas.
Apii viridis fasciculum vnum.

In

Interanea ſcyllæ candida conciſa coniice in acetum, & per dies ſeptem ſub ardentiſsimo canisæſtu macerari ſinito, deinde ſcyllã ſubleuans, arida quidem iam conciſa, viridia verò integra aceto inſere, & poſt ſeptem dies rurſum omnia extrahens, aceto immitte mel cum hepſemate: quibus decoctis vſquead craſsitudinem in vaſculo vitreo reconde. Hæc eſt Pauli compoſitio, qua (inquit) vel ante prandium propinationis loco vti debemus, vel poſt cibum veluti in ſalſamento. SEN. Hæc certè magna compoſitio eſt. Meſue & ipſe ſecundum Democritum ſcylliticum oxymel parare docet, ſed cum iſto nihil habet: omnino ſum ipſum paraturus, ſed opus erit, quòd ſimplicia quædam edoceas. BRAS. Libenter fiet. SEN. Nunc de Oxyzacchara ſermo fiat. BRAS. Hermolaus Barbarus Oxymel ſimplex, ſi cum zuccharo fiat, & non cum melle, oxyſacchar vocari inquit: & re vera, id eſt ſuum proprium nomen: ſed alia compoſitio eſt quam vos Pharmacopolæ pro oxyſacchar paratis, & corrupto vocabulo oxyzacchara dicitis. SENEX. Eſt compoſitio Nicolai, quæ recipit tres res, acetum, ſuccum granatorum & zuccharum. BRAS. Ego quandoque ex ſolo aceto parari iubeo, quandoque ex ſolo granatorum ſucco, quandoq; ex vino omphacio, quan

*Oxyzacchara.*

*Oxyſacchar*

quandoq; ex limonum, vel arantiorum vocatorũ ſucco, vt ſumenti conuenit. Nicolaus per hunc ordinẽ ſuũ oxyſacchar fieri iubet, vt recipiantur zucchari libra vna, ſucci malorum granatorũ vn. viij. aceti vnc. iiij. ponãtur ad ignem in vaſe ſtanno circunlito, & bulliãt ſemper ſpatula agitando, donec ad quantitatem zucchari vel ferè deueniat. BRAS. Eſt potus ſuauis, qui febrium tertianarum inflãmationes ſedat, qui bilem in ventriculo purgat, qui etiam plurimùm aperit. Et oxyſacchar loco oxymellis tutius vti poteris: quoniam ratione mellis ita nocere non poteſt, vt oxymel facit. Quippe certus ſum ſi Hippocrates & Galenus ſaccharum nouiſſent, oxyſacchar componendũ voluiſſent, minori diſpendio, quàm oxymel. SEN. Gaudeo quoties apud nos aliqua eſſe inuenio, quæ antiquioribus illis recõdita, & occulta fuere. BR. Certum eſt, omnia non nouiſſe antiquos, in multis tamen diligentiam habuere. In vno autem in oxyſacchar te attentũ faciam, quòd zuccharum non clarifices. SEN. Ita ſemper paro. BR A. Bene eſt. SENEX.

*Mel violatum.*

MEl violatum conſiderandum prætermiſeramus. BRAS. De illo agendum erat, quando de ſyrupo violato ex infuſione violarum loquebamur. Vtauté de ipſo perfe &è loquamur, quibus vtaris edoceas. SENEX.

Ego

Ego in mea officina mel violatum, & zuccharum violatum habeo. Zuccharum violarum eodem modo paro, quo rosatum, vnicui que libræ zucchari vnc. iiij. violarum, id est, florum violarum exhibens. Etiã mel violatũ ex infusione eodem modo conficio, sicut rosatum ex infusione rosarum: quia ex infusione violarũ & melle, mel violatum paro. BR. De violato zuccharo errare non potes, quia à Mesue perfectam normam habes, & ab eodem de violato melle etiam regulam habes, quia vel fit colatum, vel non colatam. Si quidem colatum fiat, Mesue regulã tribuit, duarum violarũ partes sint, & sex mellis, vt etiã in zuccharo facis. Tamẽ huius mellis rarus vsus est. Si verò colatũ facias, vnus est modus cũ infusione violarũ, de quo superius egisti. Alius est modus ex puro violarũ succo. Tertius est modus, q̃ mihi summè placet, à Nicolao factus, vt in x. lib. albissimi & purissimi mellis despumati (secundũ Nicolaum, secundum nos autẽ mel ad aurum inclinet) ponatur succi recentium violarum lib. j. cùm igni apposita sunt, adde violarũ recentium cultro incisarum libras iiij. & bulliant semper miscendo, ad cõsumptionem succi. SENEX. Quandoq; solebam hoc modo parare. BRA. Siccitati pectoris, & lenta febre affectis plurimùm conuenit. SENEX.

*Diamorum simplex.* PAucissima inter syrupos cõsideranda videntur. Si quid sit, Diamorũ est. BR. An inter syrupos Diamorum numerari debeat, nécne, in dubio est, tũ quia Mesue inter genera Loch (vt eius vocabulo vtar) numerauit, tũ quia syrupi more nõ bibitur. Sed de hac re digladiari non liceat, modò compositionem ipsam cognoscamus. Quod genus Diamorũ paras? SEN. Quod oés alii, illud scilicet qđ à Nicolao edocetur, qui in hũc modũ cõficit:

| | | |
|---|---|---|
| Recipe mororum celsi | lib. | ß. |
| Mororum bati | lib. | j. |
| Mellis | lib. | ß. |
| Sapæ | vnc. | iij. |

Ita etiã conficio: Sumo succũ mororum cum melle & sapa in vase æreo stanno circũlito, & suauiter decoquo: cum autem an coctũ sit cognoscere volo, guttã supra marmor pono: & si inhæreat, coctũ est: adeò autem inhæreat, vt si digito tangam, resiliat, tunc coctũ est: hoc viso percolo, & in vase stanno circunlito vsui reseruo. BRA. Vsus eius magnus est in palati excoriationibus, quando vua deciderit, & materia aliqua impletur, vbi in gula ardor persentitur, aut feruor quidam ingés. In principio etiam synanches plurimùm valet. Sed Mesue aliam compositionem habet, quam Diamorũ appellat, in ea distinctione vbi de Loch tractat, quam etiã pluresfaciũt,

& quam ad omnes gutturis & vuæ apostema ta valere dicit, & ad omnem præfocationem:

Recipe succi mororũ dulciũ } ana lib. j. ß.
Mororum de sceni }

Rob } ana lib. j.
Mellis }

Coquatur cum facilitate vsq; ad mellis spissitudinem, & serua. Appellaturq; simplex Diamorum. Sunt autem qui cùm maior necessitas ingruit, addunt

Aluminis
Myrrhæ
Croci } ana partes æquales.
Succi agrestæ

SENEX. Ego nunquam hæc vel addidi, vel addere vidi. BRA. Ego autem in Diamoro quandoq; & hæc & alia (vt opus est) addo. Sed vnum admoneo, Mesuen huic compositioni hæc addidisse, quæ à Galeno adduntur VI. lib. de compositione medicamentorũ secundũ loca, qui liber à barbaris Miamir nuncupatur: & quanuis eadẽ præcise à Galeno in hanc cõpositionẽ non iniiciantur, tamẽ eandem intentionẽ sequitur. Eo enim loco duas Diamori cõpositiones describit, quarũ altera andromachi, altera ipsius Galeni est. Galenus docet nos puro succo vti debere phlegmone incipiẽte, & ego eo vtor, quũ recẽtia mora in sua arbore pendent: alio enim tẽpo-

re cùm desunt mora, eorum succus melle mistus seruatur: tamẽ sine melle vehemẽtius repellit. Quod in phlegmonũ principiis quæritur, post principiũ, quia simul repellere, & resoluere, indigemus, tũc cũ melle conuenit. Tamẽ Galenus in principio simul cum succo quãdoq; rhum, id est, sumachium dictũ misce bat, quãdoq; omphaciũ, quibus deficiẽtibus, rosarũ flores sumebat, aut siccas rosas, aut balaustium, aut gallã, aut thus, aut hypocisthida, aut succum lentisci, aut (vt breuibus expediat) aliquod adstringens, qđ vim repellendi habeat. Et hæc est in principio omniũ phlegmonum intentio repellere: post principiũ ad concoquendum myrrha & crocus addun tur, postquam coctio facta sit, iniiciendũ est aliquod discutiens, vt nitrum, aphronitrum, sulphur, vel origanum, vel pulegium, vel thymũ, vel aliqd simile. S E. Quomodo parabat Galenus suum Diamorum? B R. Hoc modo:

*Diamorum compositũ.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe mellis | | lib. | j. |
| Succi mororum rubi | | lib. | v. |
| Croci, Myrrhæ } añ. | 3. | j. | ß. |
| Omphacii | | 3. | j. |

Hic modus Diamori à Pau. Aegineta lib. VII. c. XIIII. Diamorũ cõpositũ appellatur, quod à Galeni Diamoro in aliqbus & in simpliciũ põderibus differt. Est autem Pauli Diamori com

compositi descriptio ea, quæ subsequitur:

Recipe mororũ succi cotylas sex, coquas ad strigmenti balneorũ crassitudinem.

| | |
|---|---|
| Croci contriti | denarium j. |
| Myrrhæ | denarios ij. |
| Omphacii | denarium j. |
| Schisti lapidis triobolum | |
| Mellis cotylam vnam. | |

Decoquito quousq; crassitudinem induat. SE. Si Paulus Diamorum compositum hoc appellat, necesse est, quòd simplex prius edocuerit. BRASA. Imò id egit: nam eodem loco duo Diamori simplicis genera ponit: Alterum ex mororum succi sextariis tribus, quibus antea decoctis ad consumptionem tertiæ partis, iniice mellis sextarium vnum, & denuò ad mellis spissitudinem decoquito. Alterum ex succo mororum batinorum, id est, ex rubis nascentium facit, quod primo adstringentius est. propterea & Galenus vel ex moris celsi, vel rubi conficit. Sed ex rubi moris magis laudat. SEN. In tam ampla authorũ discordia quid agendum mihi est? BR. Laudarem ego, vt duo hæc diamori simplicis genera, quæ à Paulo fiunt, seruares: nã post primũ, secundo vteremur. Si deinde vehemẽtiori repercussione indigeremus, repellentia, vt Galenus facit, addemus: quando resolutione opus erit, resoluẽtia iniiciemus: Hi autẽ au-

res ſapam non ponũt, quæ in hac cõpoſitione mihi ſummè diſplicet, quanuis & à Serapione, & à multis aliis addatur. SEN. Cùm etiam Hali.x.lib.eius practicæ aliam compoſitionem huius Diamori ſequatur, & aliam Meſue in capite de Squinãtia, quam ego imitari debeo? BRA. Si duas Pauli ſimplices cõpoſitiones habere non vis, ſimplex Diamorum ex moris celſi, vel moris batinis confice, quod ſolum habeas: medici verò pro ægrorum neceſsitate, ſecundum varia morborum tempora addent. Si autem (vt officina tua copioſior ſit) Diamorum compoſitũ habere ſtudeas, illud ex Galeno præadductum, magis quàm id ex Paulo parato. SEN. Cùm Nicolai Diamorum ſapam recipiat, éſtne idẽ modus apud omnes tum antiquiores tum recentes, parandi ſapam? BRA. Rem diſcutiendam moues, quæ magni momenti eſt in noſtra arte. Sed poſteaquam in hanc arenam deſcendimus, omnia cum recentium, tum antiquorum volumina euoluemus, quoad tibi pro parte ſatisfactũ eſſe cognoſcamus: & hoc tãtò libẽtius agemus, quia ſapa vnũ eſt ex his, quæ in ſimpliciũ examine tua incuria omiſſa ſunt. Ab Arabibus autem initium ſumamus. Cùm in Arabum, & Mauritanorum compoſitionibus Rob, vel Robub, ſimplici vocabulo inueneris, ſapã intelligere oportet: & hoc

*Rob.*
*Robub.*

perpe

perpetuò.nam id vocabulum, ſuccum ſignifi cat:ſapa verò per excellentiam ſuccus appellatur,quia vna excellens res eſt, quæ ſuccum delectabiliſsimum facit. SEN. Vinum igitur erit Robub. BR. Duo exiguntur, vt aliquod ſit Robub. Vnũ, quòd ſit ſuccus.aliud,quòd ſit inſpiſſatus ad formam mellis. In aliis ſuccis ad ſapam ipſam exemplũ ſumimus,quando de eorum inſpiſſatione tractamus, fiat ad formam Rob,vel Robub, id eſt, ad formam ſapæ. Omnis ergo inſpiſſatus ſuccus Robub dicitur, ſed per excellẽtiam ſapa ſimplici vocabulo Robub vocatur. Vt autẽ verè ſit Robub,opus eſt in primis, quòd ſuccus defæcatus ſit, deinde per Solis aut ignis caloré tantùm inſpiſſetur, vt ſine corruptione longo tempore ſeruari poſsit. Vnde Ferrariẽſes mulieres per duos & tres annos ſapam integrã ſeruant. Antiqui duo genera ſapæ, imò tria habebant,per varias coctiuras diſtincta. Vnũ genus erat,quod ebulliendo,ad tertiam partem reſoluebãt:aliud ad dimidium. primum à Græcis σάϱι& ἢ ἕψημα, id eſt,Sireum,vel hepſema, Latini ſapam vocant, ſecundũ De- frutum dicitur.hoc Plinius libro XIIII.cap. IX. docet, inquiens: nam Sireum, quod alii hepſema,noſtri ſapam appellant, ingenii,nõ naturæ opus eſt,muſto vſque ad tertiam partem menſuræ decocto. Quod vbi factum ad

*Sapa.*

*Hepſema.*

*σάϱι&.*

*Defrutum.*

dimidium est, defrutum vocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Et lib. XXIII. cap. II. inquit: Vino cognata res sapa est, vino decocto, donec tertia pars supersit: ex albo hoc melius. SEN. Igitur ex tribus partibus duas resoluebant in sapa? BRA. Ita est. SEN. Ego autem Plinium intelligebam quòd tantùm tertia pars resolueretur, & duę relinquerentur. BRA. Ille non est Plinii sensus, quod ostenditur cum ex hoc cap. II. lib. XXIII. vbi inquit, decocto donec tertia pars supersit. Si quidem supereſt tertia pars, indiciũ est, quòd aliæ duæ partes euanuere. Imò & illud ex illo loco noni cap. lib. XIIII. colligi potest, vbi inquit, Musto vsque ad tertiam partem mensuræ decocto. Sed quia hæc verba non magis id significant, quàm quòd sola tertia pars resoluatur, propterea id, quod sequitur, ostendit quòd duæ partes resolui debent, & vna superesse. Sequitur autem, Quod vbi factum ad dimidium est, defrutum vocamus. ac si dicat, Sapa est quoties adeò resoluitur, vt tertia pars supersit: at in hac resolutione quando ad dimidium peruenitur, defrutũ vocamus: cum verò vsq; ad resolutionem duarum partium transitus fit, est sapa, vel hepsema, ab Hippocrate hepseton vocatur. Nonius autem dicit suo tempore sapam vocatam esse Mellaciũ, fortè quia mel recipiebat, vt nonnullæ

*Hepseton.*

*Mellacium.*

nullæ ex noſtris mulieribus faciunt: vel quia loco mellis vtebantur, cuius dulcedinem repræſentat. Eſt & tertium genus, quod fit ex reſolutione vnius partis ex tribus, & Calenũ appellabatur. SEN. Quod noſtræ mulieres ſingulis annis parant, quomodo appellari debet, aut in quo genere ponendum eſt? BR. Non eſt defrutum, neq; ſapa, neq; Calenum, quia ex quinque partibus quatuor reſoluũt: fortè quia vina noſtra Ferrarienſia adeò potentia non ſunt. ex quinque enim ſitulis adeò bulliunt, vt vna tantùm relinquatur. Quę autem meliorem & ſuauioręſapam parare volunt, vuas bene maturas deligunt, & pinſunt: aliter non eſt ſuauis ſapa, & quæ facilè putreſcit. Vt autem quidam acor ẽ ſapa adimatur, mulieres noſtræ cydonia iniiciunt, vt ſimul bulliant. Si cydoniis carerent, poma alterius generis, modò dulcia ſint, accipiũt. Decipiuntur autem recentes, qui volunt hoc tertiũ genus ſapæ dici carenum, quia tertia parte careat. Imò illius ſententiæ fuit Iſidorus. At res aliter eſt: nam calenum dicitur à Caleno oppido, & Caleno monte, qui diſtat XIIII. millibus paſſuum plus minus à Capua capite & primaria olim Campaniæ vrbe. Nunc oppidis Ferrariæ propinquis vix ſimilis eſt. Diſtatque Calenus mons à Seſſa nunc vrbe, non Sinueſſa, quatuor millibus paſſuum plus mi-

*Calenum.*

nus. In Caleno autem monte nunc nec oppidi vestigia extant. Hac hyeme ea loca visitauimus, quoniam ab antiquis celebrata sunt, cùm illustrissimus Princeps & patronus meus HERCVLES Estensis Dux Ferrariæ quartus Neapolim ad CAROLVM V. Imperatorem proficisceretur. Ad Calenum montem equitauimus, vina Calena bibimus, quæ suauissima sunt. Propterea Horatius volens Mecœnatem allicere ex vino, vt secũ in cœna sit, libro primo Carminum Ode 11. inquit: Prælo domitam Caleno Tu bibes vuam. & Iuuenalis: Molle Calenũ porrectura viro. SE. Vuarum igitur genera magis & minus sapam coqui faciunt? BRA. Ita est, quia Calena vina, vt sapæ perfectionem & formam enanciscerentur, solùm indigebãt resolutione vnius partis ex tribus. Nostra autem vina indigent resolutione quatuor partium ex quinque. Imò & ex Caleno monte phalerna vina, nigra, dulcia & spumantia veniunt. Nunc is locus idem nomen seruat: nam incolæ appellant li faluomi. SEN. Possètne haberi vniuersalis regula sine hac mensura? BRA. Posset, & hæc sit: Quodcunq; genus vuæ, aut musti acceperis, adeò bulliat, vt mellis formam acquirat. SE. Si Græci in diamoro sapam non ponunt, miror quòd Arabes & recentes iniecerint: nescioq; vnde ortum habuerit. Idq; dubiũ mihi

videt

videtur de re ipsa nunquid sapa in his gutturis affectibus, in quibus Diamorum cõuenit, præsertim in principio sapa conueniat. B R. Rem arduam moues, in qua nõ ita facilè respondere possumus. Nempe Græci authores nonnulli in gargarismatibus & oris collutionibus, & ad inflãmatas gingiuas sapa vtũtur. Aetius enim cap. xx. lib. VIII. de inflammatis gingiuis tractans, primò asininum lac in ore detinendum esse præmonuerat: postea addit, & hoc quod ex vino ad tertiam vsq; mensuræ partẽ decocto apparatur, quod sapam dicimus, itemque Hepsema. & capite LI. eiusdem VIII. lib. idem Aetius vbi ea ponit, quæ his, qui in arteriis patiuntur, cõueniunt, & de arteriarum pharmacis loquitur, inter alia sapam exhibet, quæ Sireum quoque, & Hepsema appellatur: à vino autem abstinendum monet. & capite LII. vbi de asperitate & suppressa voce tractat, quando è pectore educere opus est, mel & sapam addit. Paulus etiam Aegineta, vbi de raucedinis, arteriarúmve curatione loquitur, sireo, id est, sapa vtitur. Trallianus etiam lib. II. cap. IIII. de destillatione tenuis materiæ à capite in asperam arteriam loquens, ex defruto & sapa cõpositiones facit, vbi de Diacodione sermonẽ fecerat: ex his fortè & similibus Arabes recentes in principio phlegmonum gutturis,

sapa

ſapa vtuntur,& eò præſertim quia Dioſcorides lib.v. vbi de vino paſſo, & protropo diſputat,inquit: Item, quod mulſo decocto fit, & Sireum,ab aliis hepſema,& ſapa dicitur.Si nigra euadant,pinguia, copioſique alimenti erunt. Si alba,tenuiora.Si heluola,variataq;, mediam vim vtriuſque naturæ ferent:omnibus tamen vis adſtringendi, continendique adiuncta.Arteriæ languidos ictus recreat.Ex his habes ſecundum Dioſcoridem, ſapã vim reſtringendi habere,& ex conſequenti repercutiendi: propterea ad inflammationes gutturis in principio valere ſumi poteſt. Sed his omnibus Hippocrates oppoſitus eſſe videtur, qui in 11. lib. de ratione victus, inquit: De frutum calefacit,madefacit,& ſubducit:calefacit,quod vinoſum eſt:madefacit, quoniam nutrit:ſubducit quod dulce eſt. Vnde ſecũdũ Hippocratẽ colligere potes,in harum inflammationum initiis ſapam exhiberi non poſſe: propterea (ſalua ſemper Dioſcoridis pace) in principio inflammationum aſperæ arteriæ,aut partium oris, ego nunquam vteret ſapa. SEN. Quid dixit Dioſcorides? BRAS. Eſſe adſtringẽtis naturæ. Quod ſi ſit,in principiis cõuenit. Nempe ab omnibus antiquioribus medicis,& ab ipſa ratione animaduertitur in principiis repellentibus nos vti debere: poſtea reſoluentibus, denicq; mingan-

tibus

tibus: quod bis aut ter à Paulo Aegineta libro tertio, capite XXVI. edocetur, & ab Aetio locis præcitatis: quos si cõtemplemur, in principiis sapa nõ vtitur: ab Alexandro Trallano libro secundo, capite IIII. à Galeno in sexto de compositione medicamentorũ per loca. SEN. Sapa quando fieri debet? BRAS. Quando vuæ sunt exquisitè maturæ: quanuis Plinius lib. XIIII. capite XXI. dicat, ipsa quoque defruta, ac sapas, cùm sit cœlum sine Luna, hoc est, in sideris eius coitu: neque alio die coqui iubent. Præterea plumbeis vasis, nõ æreis, nucibus iuglandibus additis: eas enim fumum excipere. Nostræ autem mulieres poma cydonia, aut alia, si hæc desint, iniiciunt. Idem Plinius libro XVIII. cap. XXXI. de temporibus vindemiæ loquens, inquit, hoc scilicet tempus, & defrutum coquendi, silente Luna noctu, aut si interdiu, plena. Quæ à Ferrariensibus mulieribus nunquam obseruãtur. SENEX. Igitur sine sapa Diamorum parabo? BRA. Sine sapa: quippe Græci authores sine sapa conficiunt, & Alexander Trallianus lib. I. cap. XLI. vbi anginæ præsidia scribit, diamori simplicis & compositi cõfectiones edocet. SEN. Quæ sunt hæ? BRA. Pro simplici diamoro conficiendo recipito succi mororũ sextarios quinque, decoquito donec mellis liquidi crassitudinem cõtrahat: deinde mellis

sexta

ſextarium vnum adiicito, & iterum coquito, donec mellis denſitaté obtineat. SEN. Quomodo facit ſuum compoſitum Alexander? BRA. Nunc dicemus.

*Diamorum compoſitũ Alexãdri.*

Recipe ſucci mororum Sextarium vnum,
Croci
Myrrhæ } Denariorum pondo duûm.
Omphacii toſti & in puluerẽ redacti denarii pondo vnius.
Aluminis Denarium pondo duûm.
Mellis Sextarium dimidiatum.

Succus mororũ per horam areſcat: inde igni admotus parum ſpiſsior reddatur: mel autẽ iniectum ad tertias decoquito, & vbi gelaſcere cœperit, pulueres quoque iniice: & ſicubi incidat vſus, vtere. SEN. Tamen hoc compoſito in principio vti nõ debemus. BRA. Non equidẽ: imò ipſemet Trallianus vbi ſimplex diamorum deſcribit, hoc obſeruandum monet, vt ἐπὶ τῆ ἀρχῆς, id eſt, in principio adhibeantur, quæ reprimendi vim habent, ἐπὶ τῆ ἀκμῆς, id eſt, in ſummo vigore, quæ digerendi, ἐπὶ τῆ παρακμῆς, id eſt, in declinatione, quæ leniendi phlegmonem, mitigandique facultate prædita ſunt. Imò Paulus Aegineta præcitatis locis mel in principio miſcendum eſſe non vult, ſed in augmento ſolũm. Addimus autẽ nos mel, vt diu ſeruetur: aliter breui corrũperetur, & diu ſeruari nõ poſſet. SEN.

Cùm

Cùm in ſimplicium examine mora prætermi ſerimus, ab re non erit, ea hoc loco tractare. BRAS. Id libenter faciam à recentibus initiũ ſumens: nam ex his in antiquam harum rerum cognitionem veniemus. Apud nos duo mororum genera reperiuntur ex coloribus diſtincta, album, & nigrum. De albo moro *Mora alba.* nihil apud Theophraſtũ, Dioſcoridem, Plinium, Catonem, Palladiũ, Columellam, aut alium ex antiquioribus, qui de re ruſtica aut plantis locuti ſunt. SEN. O rem mirã, quam audio. Igitur antiqui album morum ignorarunt. BRA. Ita videtur. SEN. Tamen ſericum habebant. BRAS. Habebant & bombyces, ſed nigro moro vtebantur, & ſuos bõbyces iſto paſcebant: & ſi hi vermes nigro moro veſcantur, ſericũ pulchrius, ſplendidiusq; fit. SEN. Fieri poteſt, quòd antiquorũ aliquis de albo moro locutus nõ ſit? Res eſt, quæ mihi ferè impoſsibilis dictu videtur. BRA. Nullus, præter Ouidium album morum, vel à longe deſcripſit. SEN. Non poſſum nõ valdè mirari de antiquioribus, & præſertim de Plinio omnium ſagaciſsimo. BRA. Fortè Plin. albũ morum præteriit, quoniã à Theophraſto eius mentio nulla fit, quem in plantarum hiſtoria adeò imitatur, vt eius ſimia verè dici poſsit. SEN. Nec illud dici poteſt, hos viros ideò album morum omiſiſſe, quia arbor notiſsima eſſet,

esset, quoniam de valde notioribus historiã scripsere,& de vilioribus:& huius arboris folium ad pascendos vermes mollius est, quàm mori nigræ folium : & nunc tota Italia foliis huius albæ mori vtitur. Sed quo loco, & ad quod propositũ de alba moro sermonem habet Ouidius? B R. Est in 1111. lib. Metamor. vbi Thysbes& Pyrami insolẽtes amores describit. Quippe locũ quendã statuerũt, in quẽ ambo conuenirent: locus autem erat notissima morus, sub qua alter alterum expectare debebat. Ne autem carmina quæras, hæc sunt quæ dicam:

Néue sit errandum lato spatiãtibus aruo,
Conueniant ad busta Nini, lateantq; sub vmbra
Arboris, arbor ibi niueis vberrima pomis
Ardua morus erat gelido cõtermina fonti.

Imò Ouidii sententia videtur, quòd omnia mora prius alba fuerint: deinde ob Pyrami & Thysbes sanguinẽ, nigra effecta sint. Ideò deinceps cùm seipsum perimit Pyramus, in hunc modum canit:

Quoq; erat accinctus, demisit in ilia ferrũ,
Nec mora feruenti moriens è vulnere traxit,
Et iacuit resupinus humo, cruor emicat altè,
Nõ aliter qnàm cùm vitiato fistula plũbo
Scindi

Scinditur, & tenui ſtridente foramine, longas
Eiaculatur aquas, atq; ictibus aëra rũpit:
Arborei fœtus aſpergine cædis, in atram
Vertũtur facié, madefactaq; ſãguĩe radix
Purpureo tinxit pendentia mora colore.

SEN. Hæc mihi videntur anilia fabulaméta, quæ hyeme apud ignem puerulis recitantur.

BR. Fabulamenta vidẽtur, ſed quæ ſub tegmine philoſophiæ myſteria tegunt: & quæ poſſunt ſaltem teſtimonium reddere apud Romanos mora alba extitiſſe. Nã deinceps cùm Thysbe ſe perimit, deos rogat vt arbor ſuæ cædis teſtis ſit: & ſicuti Pyrami ſanguine tincta erat, etiam ſui ipſius ſanguine tingatur: proptetea canit Ouidius:

Vota tamẽ tetigere Deos, tetigere parẽtes,
Nãcolor in pomo eſt vbi permaturuit ater

SEN. His nugis omiſsis, ad rem noſtram redeamus. *Mora nigra.*

BR. Apud antiquiores authores alba mora non extãt, ſed nigra ſolùm, quæ ſycaminea appellabãtur, & ſycomora, id eſt, Aegyptia ficus, & mora rubi. *Sycamínea.*

Sycomorũ non habemus. *Sycomora.*

SEN. Arbor illa procera, quæ nunc Ferrariæ paſsim viret, quam vulgus ſycomorum appellat, non eſt ergo ſycomorus?

BR. Non equidem: eſt tamen ſycomorus procera arbor, ſed ficui ſimilis, quæ fructũ moro maiorem, & ficu minorem gignit, dulcem, ſua-

uem, & qui granula non habeat vt morũ. SE. Igitur sycomoro caremus. BRAS. Caremus, ideò prætermittatur: extant apud nos mora nigra, quæ vulgò celsi mora vocãtur, putant recentes ob arboris celsitudinem celsi mora nuncupata esse, sed apud antiquos absoluto vocabulo mora dicũtur, & cùm mora dicuntur, hæc intelligunt, quę etiam appellant sycamina: quanuis hęc nomina Attica nõ sint, vt Galenus lib. secundo de alimentorum facultatibus docet. Sed (vt inquit) quibus placet Atticismus, his non placet medicæ artis veritas. Ab Arabibus hæc mora, quæ à recentibus celsi mora dicuntur, Tut vocãtur, vt ex Serapione cap. CXXXII. de simplicium medicamentorum facultatibus colligere licet: eo autem loco Galenũ adducit. Sunt igitur hæc mora, quæ supra arbores proceras nascũtur, & quibus in mense Maio & Iunio vescimur, & quæ aduersari stomacho, & facilè corrumpi Dioscorides & Galenus dicunt, ea quæ ab antiquis absoluto vocabulo mora dicuntur. Sũt præterea mora bati, quibus Galenus & Paulus ad componendũ Diamorũ libentius vtuntur. In rubo nascũtur multùm differẽte Callo. ab Hippocrate maratha nũcupantur. Sed Hermolaus Hippocratẽ emendat, vt legendum non sit μαράθα ἀπὸ βάτου, id est, maratha à bato: sed μῶρα τὰ ἀπὸ βάτου, id est,

*Mora celsi.*

*Tut.*

*Maratha.*

*Mora bati.*

id eſt, mora à bato, id eſt, rubo. Nos autẽ tria mororum genera in humilibus plantis naſcentia cognoſcimus. Vnum ſupra rubum: aliud ſupra Idæum rubum. Tertium quod vulgò mora campagnola appellamus, inter campos naſcitur & inter arua, humilis arbuſcula, ſpinoſa, folia tamen rubi & eiuſdẽ generis morum duorum, trium, quatuor aut ad ſummũ quinq; acinorum fert. SE. Poſſúntne hæc ad certa genera & communiora nomina duci? BR. Duo ſunt Latina nomina, quibus hæc omnia ſignificantur, rubus & ſentis. Plinius hoc nomen rubus ſcribit, & eo vtitur. Columella hoc nomine ſẽtis vtitur: vt apud Latinos hæc duo nomina generalia ſint, rubus & ſentis: ſed apud Græcos generale nomẽ eſt βάτος. Propterea cùm apud Galenũ, aut alium authorem Græcum legimus μῶρα καὶ βάτος, hæc intelligimus. Sed noſtri his vocabulis differentias addunt, quod & Græci prius fecere. Nam apud Latinos differentiæ ſunt, rubus caninus, rubus Idæus, rubus terreſtris, vel ſentis canis, vel caninus, ſentis humilis vel terreſtris, ſentis Idæus. Græci autem habent cynosbaton, baton Idæum, chamæbaton. SENEX. Nondum edocuiſti, quid eſſent hæc mora apud nos. BRASAVOLVS. Nunc id agemus. Mora, quæ in ſpinis ſunt ſupra rubos in ſenticetis, &

*Mora campagnola.*
*Rubus.*
*Sentis.*
*Rubus caninus.*
*Rubus Idæus.*
*Rubus terreſtris.*
*Sentis caninus.*
*Sentis terreſtris.*
*Sẽtis Idæus.*
*Cynosbaton.*
*Batõ Idæũ.*
*Chamæbaton.*

pro tuēdis noſtris aruis à belluis & hominibus, abſolutè mora rubi dicuntur, vel mora ſentis, vel mora ſentis canis, vel mora bati, vel batina. SE. Hæc cognoſco: & his vtor in diamoro. BRAS. Dioſcorides dicit nuncupari mora vaticana. ab Arabibus Suleich dicuntur, vt Serapio teſtis eſt, capite CXXIIII. ſui libri de ſimplicium medicamentorum facultatibus, præſertim ſi ipſum Galeno conferas, eo loco quo de rubo ſermonem habet. Adeſt & apud nos in foueis, quæ agros diſterminant, & alienos greges arcent, genus quoddam rubi breues ſpinas habens & tenellas, ipſaque arbuſcula tenella eſt, & flexibilis, hoc genus rubus Idæus nuncupatur. BRA. Putabam in Ida monte ſolum naſci. BRAS. Non dicitur Idæus quia ſolùm in Ida monte naſcatur, ſed ob magnā copiam, quæ ibi viret: tamen & in Ferrarienſibus ſenticetis Idæi rubi pullulant. SEN. Nos moris Idæi rubi, & rubi canis indiſcriminatim vtimur. Dic autem quæ ſunt apud antiquos illa mora parua valde nigra, quæ in aruis naſcuntur, & multùm adſtringentia ſunt? BRASAVOLVS. A Græcis arbuſcula illa χαμαίβατος Chamæbatos, id eſt, humilis rubus, vel terreſtris rubus, vel ſentis humilis nuncupatur. hoc eſt genus illud rubi, quod facit mora apud nos campagnola appellata, quæ nigra ſunt, parua, & ad

*Mora vaticana.*

*Suleich.*

*Rubus Idæus.*

ſumm

ſummum quinque granula coaceruata habent, de quo rubo Theophraſtus tertio de plantarum hiſtoria meminit, cùm inquit: ἔτι δὲ καὶ τῶν βάτων πλείω γένη, μεγίστην διαφορὰν ἔχοντα διαφορᾶν, ὅτιὸ μὲν ὀρθοφυὴς καὶ ὕψος ἔχων, ὁ δὲ ἐπὶ τὴν γῆν καὶ οὐθὶς κάτω νένευκεν. καὶ ὅταν σωάπτηται τῇ γῇ ῥιζοῦται πάλιν, ὃν δή τινες καλοῦσι χαμαίβατον. ὁ δὲ ἡμιώσβατον τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει, καὶ παραπλήσιον τῷ τοῖς ῥοιᾶς φύλλῳ. ἔστι δὲ δένδρου καὶ θάμνου μεταξὺ καὶ παρόμοιον τοῖς ῥοιοῖς. τὸ δὲ φύλλον ἀγνοῦ δοκεῖ. Quem ſi interpretari velimus hæc dicit: Amplius autem & rubi plura genera maximam habentia differentiam, quod hic quidem rectus, & in altitudinẽ ſe habet, ille autem in terram & deorſum inclinans: & ſtatim cùm terram attingit, iterum radicem facit, quem nonnulli chamæbaton, id eſt, humilem rubum appellant. Ille autem, quẽ cynosbaton, id eſt, canis rubum vocãt, fructum habet rubentem ſimilem illi punicæ, id eſt, ſimilem cytino punicæ. Eſt autem medius inter fruticem & arborem, & punicæ ſimilis, folio amerinæ. Hæc Theophraſtus. SENEX. Mihi videtur Theophraſtum voluiſſe noſtrum rubum caninum in altum erigi. BRA. Id quidem abſolutè nõ dicit: ſed ad alterum comparatione facta, qui humilis & terreſtris appellatur, ideò dixit ipſum eſſe mediũ in-

ter fruticem & arborem. SE. Ex Theophrasto solùm duo rubi genera sumi videntur, caninus & terrestris: tamé adest & rubus absolutè. BRAS. Apud Dioscoridem tria genera bati, id est, rubi, vel sentis tantùm inueniũtur: Cynosbatos, de quo in primo lib. quem Serapio capite CXXV. Set appellat, & batos absolutè, & batos Idæus: de quibus quarto libro tractat. Sed batos absolutè, id est, rubus, & rubus Idæus non differunt, nisi spinis & loci abundantia. Ideò apud Dioscoridem solùm duo rubi genera inueniuntur, cynosbatos, & Batos. Vnde & Galenus de duobus solùm tractat, de bato VI. libro de simplicium medicamentorum facultatibus, & de cynosbato VII. libro. Paulus & Aëtius eundem ordinem seruant: nam de bato & cynosbato duobus locis tractant, & de rubo Idæo nusquam, tanquam de eo, qui non est distinctus à rubo, nisi per teneritudinẽ, & spinas. Imò & Plinius solùm de cynosbato & rubo differit, quanuis libro XXIIII. capite XIIII. dicat cynosbaton habere folium vestigio hominis simile, & Idæum rubum tantùm in Ida nasci, cum tamen apud nos sit, & eo loco multa rubi genera enumeret, quæ reuera à Theophrasto, Dioscoride, Galeno & aliis distinctæ plantarum species ponantur. SENEX. Ignoro adhuc, quid per hunc tuum

inor

inordinatum discursum inferre velis. BRASAVOLVS. Hoc inferre intendebam, Theophrastum, Dioscoridem & alios Græcos sibi ipsis consentire, & esse tantùm duo rubi genera, scilicet rubus absolutè, vel rubus terrestris, vel rubus humilis, & cynosbatos, id est, rubus caninus, quæ duo genera tantùm enumerantur: nam rubus Idæus saltem viribus à rubo humili non differt: nec de illo Galenus, Paulus, aut Aëtius tanquam de re distincta tractant. Nec impedit, quòd Theophrastus videtur sentire tria esse rubi genera, humilem, magnum, id est, cani rubum, & medium: quia ad duo reducuntur. Imò & Galenus in secundo libro de Alimẽtor. faculta. solùm de duplici rubi fructu differit. Primò de rubo, postea de rubo canino. De rubo inquit: Rubi fructum nostrates homines à bato, batinum vocant. & denique addit: Omnia porrò, quæ ex mori succho medicamenta componuntur, ex huius liquore parata efficaciorem virtutem acquirũt. postea de rubo canis tractat inquiẽs: Canis rubi fructus longè adstringẽtior rubi fructu existit, ideoque ventri supprimendo accommodatior. Rustici frequenter hũc existimant tenui alimonia, vocantq; Cynosbaton, id est, canis rubum. Vt ergo in hac re finem faciamus, & deniq; receptui canamus,

ſcito id genus ſentis aut rubi, quod chamæbatos, id eſt, humilis rubus à Theophraſto vocatur, à Dioſcoride, Galeno, Paulo, Aëtio abſolutè Baton dici, à Plinio rubum, à Columella ſentem. Eſt autem id quod mora campeſtria à nobis vocata gignit, quæ inter campos naſcũtur, & cum vindemia matureſcũt, nigraque fiunt dulcia, & ad ſummum v. aut vi. granula habentia. SEN. Illa ſunt, quibus pro Batu moris in Diamoro cõficiendo vtimur. BR. Illa conueniunt, & ſumi debent. Illud autem quod à Theophraſto dicitur Cynosbatos, id eſt, rubus canis vel ſentis canis, eſt illemet rubus, de quo Dioſcori. Galenus, Paulus, & Aëtius agunt, & eſt ille, qui apud nos dicitur Roueda, qui in Ferrarienſibus foueis paſsim inuenitur, ad arcendas belluas: & furaces homines à campis, facitque mora ad oliuæ magnitudinem. In Ferrarienſi ſolo infiniti huius generis rubi inueniuntur. SE. Nouimus: ſed quid eſt rubus Idæus? BRAS. Conſidera Ferrarienſis agri ſenticeta, rubos inuenies, qui paruas ſpinas habeant, raras, & qui magis tenelli ſint, & eorum mora magis rubra ſunt. SEN. Frequenter vidimus ſimiles rubos, imò & ſine ſpinis inuenimus. BR. Hic eſt Idęus rubus, qui in multis Italiæ partibus, præſertim per Apenninum ſine ſpinis viret. Ruſtici Mediolanenſes huius rubi Idæi mo-

ris

ris libenter vescuntur, nec spinas habet. ita in montibus Mediolano propinquioribus nascitur. Hæc mora ab incolis Namponi proprio gentis vocabulo appellantur. Hæc de Moris tibi dicenda videbantur: nisi in mentem veniſſet Seruium per fraga, Mora, quæ in herbis nascuntur, interpretari, in Damœtæ & Corydonis altercatione, cùm poëta canit:

Qui legitis flores, & humi nascẽtia fraga.

Si quidẽ terrestria mora intelligit Seruius, certè deceptus est. At si intelligit vera fraga, quæ in Triphyllo nascuntur, ipse autem appellet mora in herbis nascentia ob similitudinem, quam fraga cum moris habent, Seruio adstipulamur: nempe multa sunt, quæ cum moris affinitatem habent, & ex substantia granulosa & acinosa composita sunt. SE. Quæ sunt apud Auicennam Mora de sceni, quæ ipse amara esse fatetur? BRASA. Eáne intelligis, de quibus tractat libro 11. capite CCCCCII? SEN. Ea intelligo. BRAS. Aliàs quid essent dubitani, ob id quod dicit, Amarum autem, quod nominatur Morum de sceni: nulla autem mora amara inuenimus, ideò putabam in Auicennæ patria mora aliqua amara esse: sed postea animaduertimus, nihil aliud esse morũ de Sceni, quàm id quod nos vocamus Morũ celsi. Morũ autem, quod *Mora de sceni.*

*Alfirfedu.* ipſe appellat Alfirſedu, & quod dicit ſecundum Semicam ficus currere, eſt Sycomorus, quam Latini Aegyptiam ficum vocant. Propterea Auicenna dicit magis loquendũ eſſe de moro de ſceni, quàm de Alfirſedu. Vnde proprietates, quas ponit de moro de ſceni, omnes ſunt proprietates mori celſi, vel mori abſolutè Dioſcoridis. S E N. Aliqui per mora de ſceni, bati mora intelligunt, alii mora cynosbati. B R. Hi mirè decipiuntur, quia de rubo cap. CCCCCLXXIX. & ſimul de rubo, & rubo canis pertractat. Ideò apud ipſum nihil aliud intelligo, quàm quod Alfirſedu ſycomorus ſit, & morum de ſceni, Dioſcoridis morum ſit, quod vos celſi morũ vocatis. Nec moueor, quòd legatur eſſe amarum: quia interpres errauit, & debuit interpretari acidum. Id apparet ex hoc quod de eius Rob tractare volens dicit eſſe acetoſum, &c. S E. Non poſſum non credere quod dicis, quoad ab alio melius edocear. Sed vnum eſt, in quo de Plin. miror, qui dicat cynosbaton habere folium veſtigio hominis ſimile. B R A S. Aliàs & ego admiratus ſum: ſed poſtea admirari deſii, multa folia conſiderans, quæ ſimilitudinem ſoleæ habere videntur. Theophraſtus dicit habere folia *ἀγνῶ*: Hermolaus Barbarus legendum putat *ἰχνῶδες*, id eſt, humani veſtigii forma, quia & hoc modo viſus eſt Plin.

Plin. interpretatus esse Theophrastũ, & eam lectionem habuisse. SEN. Miror etiam cur libro XXIIII. capite XIIII. Plinius dicat cynosbaton ferè vuam nigram, in cuius acino neruum habet, vnde Neurospastos dicitur. BRAS. In hac re si per neruum lanam intelligat Plinius, verum dicit, aut duritiem quandam in medio. Si quid aliud, quid sit nescimus, nisi cum Hermolao dicamus deceptum esse Plinium in cynosbato, quia smilax aspera, id est, hedera cilissa, vuas modo labruscæ habet, tamen vt Dioscorides inquit, ab aliquibus cynosbatos dicitur, vt in hoc vocabulo cynosbatos decipiatur. Sed potius arbitror per neruum lanam, aut duritiem quandam: per vuam, morũ ipsum Plinium intelligere: nã smilax vuã nigrã non habet, sed rubrani, & pulchro rubore insignitam. SEN. Plinius etiã velle videtur apud Græcos Rhamnum rubi speciem esse. BRA. Ita sentit Plinius, tamẽ nullum authorem vidi (quod sciã) qui rhamnũ, aut lycium speciem bati poneret: fortè quia propinquè nascuntur, ideo Plinius ad rubi genus deduxit. Nunc breuibus receptui canamus, quũ ab authoribus mora batina absolutè dicuntur, mora intelligas, quæ vulgò cãpagnola appellamus. SEN. Semper illa accipio. BRA. Tamen alii sunt, qui illa non accipiunt, sed ea quę dumetis supra cynosbatos, id est

*Rhamnus.*

id est, rubos caninos nascũtur. SE. Quæ est horum differentia? BR. Quia rubi canini morũ magis adstringit q̃ humilis rubi. Scitoque alba mora per insitionẽ fieri supra populum albam: ideò nouum inuentũ esse. Quare nõ mirum, si de illo antiquiores nõ meminere.

SENEX.

*Rob nucũ.* VEreor ne Rob nucũ, quod Diamorũ sequebatur, de tam longa mora cõqueratur. Ideò his omissis, ipsum cõtemplemur, quod Diacarydion à Græcis dicitur. BRAS. Διακαρύων, non Diacarydion dici debet. In hac autem compositione quem sequeris? SE. Mesuen sequor, quanuis & Hali, & Serapio, in speciebus Rob, eandem compositionem faciant. BRAS. Quomodo autem paras? SE. Hoc modo secundum Mesuen:

*Diacarydion.*

Recipe succi exteriorum corticũ nucum in diebus canicularibus ℔. iiij. decoque ipsũ decoctione vna: deinde adde mellis ℔. ij. & decoque, donec incrassetur, & fiat sicut mel. Hæc est prima cõpositio, quæ à Mesue conficitur. BR. Alias nũc prosequaris. SE. Mesue in hoc Rob nucũ quatuor intẽtiones ponit. Prima est, si hoc medicamen pueris exhibeatur, aut mulieribus, aut humidis natura, nihil aliud addit, q̃ quod simpliciter dictũ est. Secũda intẽtio, quando morbus est in principio, opus est styptica immiscere: vt sũt rosæ & balau

lauſtia. Tertia intentio, quãdo morbus eſt in ſtatu, opus eſt, crocũ & myrrham commiſcere. Quarta intentio, quando morbus in declinatione eſt, baurach, & ſal ammoniacus addenda ſunt. In his intentionibus Græcos imitatur. Hęc enim cõpoſitio illis exhibetur, quibus à capite ad pectus & cannã pulmonis materia acuta & ſubtilis defluit, quę quãdoq; eadem die ſuffocat, aut abſceſſum facit, qui breui perimit. Propter hoc Græci duas compoſitiones parant. Alteram Dianucis ſimplicis. Alteram Dianucis cõpoſiti. Videoq; Meſuen hanc ſuam compoſitionem ab Alexandro Tralliano accepiſſe. In mellis autẽ quantitate differũt, quia ex nucibus cõpoſitionẽ facit, ſicut etiam Diamorũ fecerat: tamẽ coquendi modo conſiderato, in eandem ferè quantitatẽ veniunt, quia in menſe Auguſto nuces accepit, & exteriores cortices detrahit, quæ in mortario contundit & exprimit, magmate proiecto ſuccum mediocriter decoquit, & pauxillum mellis addit, vt in compoſitione Diamorum, & deniq; ad mellis conſiſtentiam elixat. In Diamoro autem accipit ſucci mororum ſextarios v. & ad mellis liquidi cõſiſtentiã coquatur: poſtea ſextarium j. mellis addit, & ad ſpiſsitudinem mellis coquit. Ita in compoſitione ex nucibus fiat, ſumantur v. ſextaria ſucci putaminis exterioris.

*Dianucis ſimplex.*

*Dianucis cõpoſitum.*

risinucis, & bulliant ad ſpiſsitudinem mellis liquidi: poſtea addatur ſextarium j. mellis, & ad conſiſtentiam mellis deducatur. Poſtea Trallianus ea addit, quę nos putamus Meſuẽ ad verbum accepiſſe. Inquit enim infantibus & mulieribus & in principiis ſine aliquo addito eſſe exhibendum. In ſummo autem vigore addendam eſſe myrrham. In morbi verò declinatione, ſulphura & nitrum addit. Meſue tamẽ differt, quia in principio roſas, & balauſtia cõmiſcet: Alexãder autem nihil. Paulus autem duplex Diacaryon facit: ſimplex & compoſitum. Simplex idem ferè eſt cum illo Alexandri & Meſuæ, nempe recipit ſucci cõtuſi corticis nucũ viridiũ cotylas quinq;, mellis cotylam vnam, & coquatur ad diametrum, id eſt, ad conueniens corpus, quod eſt ad ſpiſsitudinẽ mellis. SEN. Compoſitũ nunc tractemus. BRAS. Compoſitum quidem docet Paulus, & de compoſito ſeorſum ſcribit, qđ nihil aliud eſt quàm ſimplex: cui ea, quæ à Meſue accepta ſunt, addit, & compoſitum vocat. Nempe, inquit Paulus, ab initio quidẽ ſtatim, & in vigore, in oris inflammationibus miſcere oportet croci & aluminis vniuſcuiuſque denarium j. myrrhæ denarios ij. In declinatione autem propter diſsipationem nitri denarium j. ſulphuris tantundem prædictorũ, quantum cum ſucci, tum mellis.

SEN.

SEN. Mihi non placet in principio crocum commiscere. BRA. Nec mihi. propterea arbitratus sum, Paulũ hoc modo intelligendum esse: Ab initio quidẽ statim opus est vti simplici Diauuce. postea sequatur: & in vigore miscere oportet croci & aluminis vniuscuiusque denariũ j. & hoc in principio non ponatur: sed Alexandro concors in principio simplex detur: alia in aliis temporibus addantur, tuncq; à Paulo lib. VII. capite XII. Diacharyon compositum appellatur. De diacaryo etiam Galenus diffuse lib. V I. de componendis pharmacis secundum loca agit. Imò Galenus huius compositionis inuentor fuit. Nullus enim ante ipsum ea vsus est. His autẽ omissis, alios syrupos prosequamur. SENEX. Nullus syrupus est à prædictis diuersus, quẽ in officinis habeamus, nisi medicus aliquis particularis vnũ sibi finxerit, & pro se parari iubeat. BRAS. De his nihil ad nos, quippe institutũ nobis erat eos syrupos tantũ prosequi, qui & Ferrariæ, & per totam Italiam in communi vsu sunt. Si quis autem vnum sibi fingat, eo vtatur, & illum, vt sibi videtur, examinet, si componendi canones bene didicerit. SEN. Solebamus & in officinis Rob de Ribes seruare, nunc autem non habemus, nec eo vtimur. BRASAVO. Et nullus est Ferrariæ qui habeat. Venetiis autem multi sunt qui

*Rob de Ribes.*

qui Riben seruant: tamẽ apud authores quid sit incertum est. Nempe apud Theophrastũ, Dioscoridem, Galenum, Oribasium, Paulũ, Aetium quærens inuenire non potui. Minus apud Catonem inueni, Varronem, Plinium, Palladium, Columellam. Soli Arabes de hoc succo, & de ipsa herba vel frutice locuti sunt. Nam Serapio capite CCXLI. de Ribes tractans, solos Mauritanos refert, & nullos Græcos. Assuetus autem est, quum Græci de aliqua re loquuntur, ipsos primò adducere: quũ verò nullũ Græcum adducit, est Arabũ inuentum, & res sua propria. Riben autẽ secundũ Isaac heben Abraham describit, plantam esse, quæ habeat capreolos recentes, rubros ad viriditatem tendentes, & habet folia magna, lata, rotũda, viridia, & habet grana, quorum sapor est dulcis cum acetositate, & ipsa est frigida & sicca in secũdo gradu, & signũ super hoc est acetositas eius, & styptictas: omnesq; authores, quos Serapio adducit, inquiunt frigidam & siccam esse in II. gradu. Auicenna verò in III. gradu dicit. Venetias quendam succũ ferunt, quem dicunt esse Riben: deferunt autem Alexandria Aegypti inquientes ex Damasco prius Alexandriam allatum esse, & quòd in Syria ingens copia nascatur. Alii ex Corasceni deferri tradiderunt. Vt autem de re ipsa agamus, scito arbu

sculam

ſculam quandam ex variis Apennini locis ad nos cõportari, quam riben appellãt, & nunc in multis locis Ferrariæ habetur, & in multis hortis viret: folium vitis habet, ſed minus inciſum, & paruos racemos facit: qui quando maturantur, rubri fiunt, & ſaporem acidum habent, adeò vt ego putem in ſecundo gradu infrigidare & exiccare. Et etiã is ſuccus, qui Alexandria Venetias affertur (meo iudicio) in ſecundo gradu potius, quàm in tertio frigidus & ſiccus eſt. Ideò Serapioni potius, q̃ Auicẽnæ credimus. Quod autẽ nos ribẽ vocamus, & nunc Ferrariæ, & Murani Venetiarum aliquibus locis, & Patauii, & Bononiæ viret, Mauritanorum ribes eſſe non poteſt: quia inquiunt ſuum riben lata folia habere, magna, rotunda, viridia. Sed folia apud nos vocati ribes, rotunda non ſunt, nec multùm viridia, ſed ad figuram foliorum vitis accedunt. Adde noſtrum riben potius inter vuas numerari debere. Rhaſis autem in Almanſore ribem inter fructus computat, & fructum eſſe iudicauit. At quia Serapio, capreolos recentes rubros ad viriditatem tendentes habere dicit, & aliqui per capreolos racemos intelligunt: ideo in hoc, cum noſtro vocato ribe ſimilitudinem habere videtur. Sed video Serapionem de ribe loqui, tanquam de re ſibi incerta, & ſolùm aliorum ſententias ſequi.

Ideo quid ſit, ex ipſo bene exprimi nõpoteſt. Ex aliis verò authoribus adhuc minus: quia nullus eſt alius, qui ribé pingat. Genuéſis ſolus Arabé quendã authorem citat qui de ribe hoc modo loquitur: Eſt planta habés ſtipité rubeũ, ad viriditaté decliué, tenerũ, cuius ſapor eſt dulcis acetoſitate miſtus, folia rotunda, viridia, & magna, cuius gra. petatur de Coraſceni, acidi ſaporis, de quo fit Rob. Hæc ille Arabs, quẽ Genuéſis citauit, cuius nomẽ eſt Alhaui, vt hinc habeas, & hunc authorẽ inter fruct⁹ cõnumerare. Hoc admonere volui, qa multi ſũt, q ſuccũ ex quadã herba eſſe dicũt: imò Gulielmus Placentinus riben, acetoſam herbã eſſe iudicauit, in eo deceptus, quia Meſue dicit, quòd rob herbæ acetoſæ eſt in virtute eius. S E. Noſter igitur ribes, quem in hortis habemus, Arabum ribes non erit. B R A. Non erit. S E. Nec ribes apud Græcos, aut Latinos reperitur. B R. Nec iſtud (quod ſciam.) S E. Quid eſt ergo, quod pro ribe habemus? B R. Intelligisne hunc, quẽ Alexandria Venetias deferunt, vel illum, qui ex Apennino petitur? S E. Vtrũq; B R. De eo ribe, quẽ habent Veneti, ex Syria Damaſcũ, Damaſco Alexandriã, Alexandria Venetias cõportatũ, nihil aliud tibi dicã, quàm quod ſuprà ex Serapione & Alhaui dictũ eſt. De eo verò q ex Apennino affertur, apud antiquos quid ſit igno-

ro,

ro,in viribus tamen cõuenire arbitror, quia ſapor manifeſtè oſtendi frigidũ & ſiccũ eſſe, & etiã operationes: quare ad eadẽ valet hic noſter ribes, ad quæ Damaſcenus. Damaſcenus enim (vt Auicẽna inquit) acetoſitatis citri, & omphacii vires habet. Quod & Serapio ſecundũ Aben Meſuai teſtatur. Meſue etiam dicit eſſe in virtute herbæ acetoſæ. Vnde pro Ribe, citri ſucco, omphacio, ſucco herbæ acetoſæ, aut noſtro vocato Ribe, qui in Apennino viret, vti poſſumus. SE. Ad quæ valet? BR. Ad ingentẽ calorẽ, & ſites ingẽtes, ad incendẽtes febres, ad ꝓfluuiũ ex bile: cardiacis ſuccurrit, vomitũ ſiſtit, appetitũ excitat, morbidos & variolos ſanat, bilẽ extinguit, hę morrhoidas ſedat, & ebrietati cõuenit, ad omnes abſceſſus peſtilẽtis morbi valet, viſum acuit: imò vnũ eſt ex his, quę in peſtiléti morbo plurimũ proficiũt. SE. Egregius ergo eſt hic ſyrupus. BR. Eſt equidẽ, & adhuc in maiori pretio eſſet, niſi citri ſuccum haberemus. Nũc verò ad alios ſyrupos flectamus. SE. De ſyrupis finitum eſt. BRA. Tam paucis vtimini? SEN. Non pluribus, niſi infuſionem ſenæ inter ſyrupos numerare velimus. BRAS. Et cur non numerabimus? nã cõcoquendi vires habet, & ego alio ſyrupo miſta vtor, vt ægro cõuenit, magno eius preſidio. Sunt autẽ in ea cõficiẽda Pharmacopolæ diſſidẽtes. Tu quo- *Senæ infuſio.*

modo paras?s EN. Hoc modo quem dicemus:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe florum boraginis<br>Bugloſſæ<br>Violarum<br>Roſarum rubearum | añ. | 3. | j. |
| Aquæ fontis | lib. | | j. |
| Mellis roſati colati | vnc. | | ij. |
| Senæ | vnc. | | ij. |

Miſce, & fiat infuſio ſecundum artem. BRA. Nihil aliud addis? SEN. Nihil. BRA. Alii ſunt qui zingiber miſcent. SE. Et ego id facio in hyeme ſcrup. zingiberis iniicio. BRAS. Semper addēdum eſt: quia ob id additur, vt quædā frigida qualitas à ſena remoueatur, quæ ventriculum offendere ſolet, & flatus excitare: aliàs autem ob amaritudinem, quam habet, ventriculo commoda eſt. Sed à quo authore accepiſti?s EN. A nullo, quia magiſtralis compoſitio in hac officina à centum annis citra confecta, doctiſsimi medicæ artis profeſſores ita indixere, deinceps patres mei & ego proſecuti ſumus. BR. Tua autem præcitata compoſitio ab aliis in pōdere multum differt. Ita enim conficiunt alii:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe Senæ electæ | vnc. | | j. |
| Florum boraginis<br>Bugloſſæ<br>Violarum<br>Roſarum rubearum | ana | 3. | ß. |

Zingi

| | | |
|---|---|---|
| Zingiberis | 3. | ß. |
| Mellis roſati colati | vnc. | j. |
| Aquæ fontis | vnc. | vj. |

Fiat infuſio ſecundum artem. SEN. Hi mihi videntur pauciſsimam aquæ quãtitatem accipere: opus enim eſt duas vncias ad minus reſolui, ideo quatuor tantũ ſupererunt. BR. Alii verò hoc modo parant:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Recipe Senæ optimæ | | vnc. | j. |
| Zingiberis | | 3. | ß. |
| Florum violarum<br>Bugloſſæ<br>Boraginis<br>Roſarum | ana | 3. | j. |

Deinde hoc modo conficiunt: Senam in x. aquæ fontis libras iniiciunt, & ebullitione vna ebullire faciunt: deinde ſupra alias res, ſcilicet flores & zingiber, quæ in vitreato vaſe ſint, decoctum illud verſant, & vas adeò obturant, quòd nihil reſpirare poſsit. Itaq; per IIII. horarum ſpatium dimittunt: deinde percolant, & in hoc quod deſcendit iniiciũt mellis roſati vnc. iiij. SEN. Hi igitur mel roſatum in infuſione non ponunt. BR ASA. Non ponunt, nec poni debet, ſed facta expreſsione addendum eſt. Inter ſe præterea differũt, quoniam hi ſenæ folliculos, illi folia: alii indiſcriminatim folliculos & folia recipiunt, prius tamen pediculis, & paruis feſtucis abla

tis. Alii ſenam ebullire non faciunt, ſed cùm aqua ipſa feruet, in eam ſenā iniiciūt: deinde hanc aquam ſimul & ſenam in vitreatum vas iniiciunt, in quo flores & mel roſatū poſita ſint. Alii nō ſemidrachmam zingiberis, ſed ſcrupulum imponunt, & per x. horas in infuſione relinquūt. SEN. Quid igitur in tanta cōfuſione agi oportet? BR. Hoc, quod nūc explicare conabimur. Sicut ſena apud antiquos incognita erat, & (vt Auerrois inqt) noua compoſitio eſt à recētibus excogitata, quæ in atrabilariis paſsionibus, ſcabie Gallica, lepra, pſora, & eiuſdem generis aliis multum proficit, quę ab atra bile dependēt: propter hoc flores, quos cordiales appellāt, addidere. In hac autē infuſione ego nunquā prætermittēdum putarē polypodium, ad intentionem ſenæ, & paſſulas atq; ſebeſten, veluti ea quæ aluū emolliūt: qd & in hac infuſione requiritur: vbi etiā poſſum, flores citrorum, aut limonum, aut arantiorū addi facio. SE. Ergo & ſimplicium pondus & parandi modum edoceas. BR. Hic eſt: Recipe Senæ optimæ, ſimulq; ſint folliculi & folia, ſed folliculi folia excedāt, & ſit ſena ex oriēte potius quàm ex Liguria aut Appulia delata: nam perfectior eſt oriētalis: neque multū antiqua ſit, imò quantò recentior, tantò melior vnc. j.

Zingiberis radix vna parua, vel ad pondus drac

drachmæ, ſemiſsis.

| | |
|---|---|
| Florum boraginis. De bugloſſa curæ non ſit, quia borago eſt vera bugloſſa. | añ. ʒ. j. |
| Violarum | |
| Roſarum rubearum | |

Citrorũ, vel imonum, vel arantiorum, ſi habeantur.

| | | |
|---|---|---|
| Polypodii | ʒ. | ij. |
| Paſſularum | vnc. | ß. |
| Sebeſten | num. | x. |

Et ſi quis domi hanc infuſionẽ cõficiat, loco Sebeſtẽ, pruna damaſcena exiccata accipiat, & hoc modo fiat: Sumatur libra aquæ fontis feruentiſsimæ, quæ in vitreatũ vas, in quo omnia prædicta inſint, iniiciatur: poſtea vas optimè obturetur, & per decẽ horas dimittatur, deinde exprimatur: ſed de melle roſaceo an miſceri debeat nẽcne, medicus ſecundum intentionẽ ægritudinis, vel miſceat, vel omittat: nam ad perfectionẽ infuſionis nõ exigitur. Si autem cõmiſcere voluerit, ſint quatuor vnciæ mellis roſati. Tamẽ cõſuetudo eſt, ſemper infuſionẽ alicui ſyrupo immiſcere, vt affectioni alteræ, quæ in ægro reperitur, cõuenit: fortè mel roſatũ cõueniet, tunc illo vti poteris. Non mihi autẽ placet, ſenã in infuſione ebullire, quia ex ſena ſuperficiales partes ſolũ expetimus. Si quis verò ſenam in feruentem

aquam iniicere voluerit, & ſtatim aquã cum ſena ſupra flores immittere, nihil refert, modò ſena nõ ebulliat. Hæc autem infuſio fit, vt horũ ſimpliciũ vires in aqua recipiãtur. Nam infuſiones quandoq; fiũt, vt malitia alicuius medicaméti ſimplicis reprimatur: Quandoque, vt vires alicui medicaméto cõdonentur: Quandoq;, vt medicamentũ lubricũ efficiatur: Quandoq;, vt vires ſimpliciũ in aquã recipiantur, quod in hac infuſione ſenæ fit. De his verò infuſionũ modis antiquiores nõ tractauerunt: ſed Meſue cap. 1 11. ſummæ ſecũdæ in canonibus vniuerſalibus has infuſiones abũdè edocuit. S E. Quot vncias huius infuſionis propinare poſſumus? B R. Quandoq; tres, quandoq; quatuor, quandoq; ſex exhibeo, vt his cõuenit, quibus propinatur. Ratio quoq; habẽda eſt, ſi ſola, aut cum alio ſyrupo miſta bibatur: & an multũ, vel parũ euacuare conueniat. Sed cõmune põdus eſt, quod euacuat ſimul, & digerit iiij. vncias exhibere: nã huic mirè proficit cui potui datur. S E. Tu frequẽter ea vteris, qua de cauſa? B R. Quoniã frequẽter in atrabilarios incido, quibus ipſa cõuenit. S E. Audiui, quòd ventriculũ offendat. B R. Et id Meſue cap. x v. de ſimpliciũ medicamentorũ facultatibus aſſerit. S E. Quomodo fieri poteſt, cùm ipſe Meſue calidã in principio ſecũdi, & ſiccã in primo dicat? B R. Imò & ſub

ſubamara eſt ſena: quæ qualitas ventriculo prodeſſe ſolet. Sed partes quaſdã flatuoſas habet, quibus illi obeſt. hoc autẽ facilè remouetur, quia zingibere addito, partes illæ euaneſcũt. Ideò vel hyems ſit, vel æſtas zingiber cõtinuè addi debet. Quòd autẽ ventriculũ offendat, quiſquis in ſeipſo facilè experiri poterit, ſi hãc infuſionẽ ſemel abſq; zingibere bibat: nã ſtatim in eius ventriculo flatus excitabuntur. Iubeo plerunq;, vt ipſam infuſionem ex iure capi aut pulli cõficiant: & his multùm proficit, qui ſumũt. S B. Imò hoc videtur eſſe Meſue documentũ. B R. Ita certè eſt, propterea & quandoq; iubeo exſero capræ parari, vt docet Meſue: & tũc mirè proficit affectionibus cutaneis ex ſalſa pituita, & aliqua atræ bilis miſcella. Hæc de ſena. Quæ cùm inter ſyrupos vltimo loco enumerata ſit, oro te (niſi aliquo negotio occuperis) hac nocte mecũ dormias, nõ, vt Tityrus Melibœũ inuitauit, fronde ſuper viridi, ſed molli ſuper pluma, aut (ſi mauis) lana. S B. Quædam negotia ſunt mihi expediẽda. Cras ſummo mane huc accedam, vt pilularũ cõpoſitiones aggrediamur. Nempe mihi inſtitui, nunquam deſiſtere, ſed tibi perpetuò moleſtus eſſe, quoad hæc cõpoſita tuo examine perpenſa ſint. Vale nunc, & quieta nocte fruaris. B R A S. Et tu quoque.

FINIS.

# INDEX RERVM, quæ in hoc libello continentur.


ACetũ mulſum. 221
Acetũ ſcylliticũ. 230
ἀκανθαλοινὴ. 174
Acantha Aegyptia. 176
Acãtha Arabica. ibi.
Aegyptia ficus. 257
Alefangiuæ ſpecies. 213
Alba ſpina. 173
Alefangiine quid ſit. 215
Alfirſedu. 266
ἀπέψυμα. 19
Aqua pluuialis. 101
Aqua fontis. 102
BOmbaſo. 42
Βάτος. 259
Βάτος Idæus. ibid.
Bedegũar. 173
Bombycina veſtis. 41
Bombyx. 42.46
CAprea. 27
Cardamomum maius. 217
Calenum. 249
Calena vina. 250
Charmeſinus color. 51
Chamæbatos. 250
Chermes. 48
Κίτρα 64
Κίσσα. ibid.
Cichoreum. 197
Coccus. 48
Κόκκος βαφικὸς. 52
Coccus infectorij. 56
Cocci tria genera apud antiquos. 56
Coccus ſcoleciõ. ibi.
Coccus ilicis. ibid.
Cortex radicis an ſumendus ſit, an tota radix. 120
Cotonus. 42


Cyno

Cynosbatos. 259
DEfrutum. 247
Diamorũ ſim plex. 242
Diamorũ cõpoſitũ. 244
Diamorũ cõpoſitũ Alexandri. 255
Diacarydion. 268
Diacaryon. ibid.
Dianucis ſimplex. 269
Dianucis cõpoſitũ. ibid.
Dorcasperegrina 27
Dundebe. 197
Ἐγκμα. 247
Eupatoriũ Meſuæ. 169.
FOlii loco quid ſumendum. 172
Fraga. 265
GAzella. 27
Goſipina. 35.42
Gonſopion. ibid.
Grana. 51
HEil 216
Hepſema. 247
Hepſeton. 248
Hydroroſatum. 80
Hydromalũ. 146.214
ὑδρὸν. 20
IVlebviolatum ex aqua vi ignis eliquata. 94
Iuleb violatũ ex ſucco violarum. 96
Iu. ibid.
Iuleb iuiubinum. 101
Λαγωπόδα. 174
LOcus Meſue reſtitutus. 111
Malatia prẽgnantiũ. 64
MAratha. 258
Μίτραξαρ. 43
Mel roſatum ex ſucco roſarum. 81
Mel roſatũ ex infuſione roſarum. 82
Mel roſatũ quadruplex. 84
Mel roſatũ colatũ & non colatum. 86
Mel violatum colatum. 241
Mellacium. 248
Miua cydoniorũ. 212

Miſch. 27
Moſchus. 26
Moſchus Venerē excitat. 32
Mora alba. 256
Mora nigra. 257
Mora celli. ibid.
Mora batu. 258
Mora vaticana. 260
Mora cāpagnola. 259
Mora de ſceni. 265
Mucharus roſarū. 79
Mucharus violarū 93
Myrtetum. 200
NAmponi. 264
Necydalus 41
Neuroſpaſtos. 267
OMphacomeli. 115
ὠφέλημα. 20
Oxymel. 114
Oxymel ſimplex. 218
Oxymel dieuchis 222
oxymel cōpoſitū. 227
Oxymel Iuliani. 229
Oxymel ſplenicū. ib.
Oxymel pro calculo ſis. ibid.
Oxymel ſcyllitic. 236
Oxymel ſcylliticum compoſitum. 238
Oxyzacchara. 239
Oxyzacchar. ibid.
PRæpotio. 18
Propinatio ibid.
πρόποσις. ibid.
RAdices an cortex, an tota ſumenda. 120
Radechio ſylueſtris. 197
Rhamnus. 267
Rhodomel. 88
Rhodoſtacte. 89
Rhœti. 90
Rob. 246
Robub. ibid.
Rob nucum. 268
Rob de ribes. 271
Rubus. 259
Rubus caninus. ibid.
Rubus Idæus. 259. & 260
Rubus terreſtris. 259
SAcolla. 216
Suchaha. 172
Sapa. 247
Scolecion. 56

Secan

Secaniabin. 220
Senæ infusio. 275
Σέρι. 247
Seris. 197
Seris sylvestris. ibid.
Sericum. 33
Serica. 98
Seres. 34
Ser. ibid.
Sentis. 259
Sentis canina. ibid.
Sentis terrestris. ibi.
Sentis Idæa. ibid.
Seta. 32
Σηρικὸν. 43
Sireum. 247
Species alefanginæ. 213
Spina alba. 173
Squingebin. 220
Stangebin. ibid.
Suleich. 260
Sycaminea. 258
Sycomora. ibid.
Syrupus de corticibus citri. 17
Syrupis an antiqui vterentur. ibid.
Syrupus de acetosita te citri. 61
Syrupus de stœchade. 67
Syrupus rosatus simplex. 76
Syrupus rosatus simplex de succo rosarum. 77
Syrupus rosatus simplex de infusiõe rosarũ recentium. 79
Syrupus rosatus simplex de infusiõe rosarum siccarum. 79
Syrupus rosatus solutiuus. 83.91
Syrupus alter solutiuus rosatus. 84
Syrupus solutiuus ex floribus persicorũ. 84
Syrupus violatus cõpositus. 92
Syrupus violatus ex infusione violarũ. 94
Syrupus violatus de succo violarũ. 96
Syrupus violatus ex dec

decoctione violarum. ibid.
Syrupus iuiubinus simplex. 104
Syrupus iuiubinus compositus. ibid.
Syrupus de papauere simplex. 108.109
Syrupus de papauere compositus. ibi.
Syrupus de quinque radicibus. 112.129.
Syrupus acetosus simplex. 114
Syrupus acetosus cũ radicibus. 118
Syrupus de duabus radic. cũ aceto. ibid.
Syrupus de duabus radicibus sine aceto. ibid.
Syrupus Byzantinus sine aceto. 133
Syrupus Byzantinus cum aceto. 134
Syruporũ acetũ recipientiũ ordo. 134
Syrupus acetosus dia rhodon. 139
Syrupus acetosus dia chylon. 140
Syrupus acetosus de succis herbarũ. 141
Syrupus de pomis simplex. 143
Syrupus de pomis sabor. 148
Syrupus de agresta. 150
Syrupus de fumo terræ. 153
Syrupus de absinthio. 157
Syrupus de mentha. 159
Syrupus de epithymo. 162
Syrupus de eupatorio. 166
Syrupus de liquiritia. 180
Syrupus de hyssopo. 182
Syrupus de prasio. 186
Syruporum pectoralium ordo. ibid.
Syrupus de capillis Vene

Veneris. 189
Syrupus de calamentho. 189
Syrupus de endiuia Gentilis. 190
Syrupus de endiuia ſimplex. 193
Syrupus de ſucco endiuiæ. ibid.
Syrupus de endiuia compoſitus. ibid.
Syrupus de cichorea Nicolai. 194
Syrupus de cichorea Gulielmi Placentini 195
Syrupus myrtinus. 197
Syrupus myrtinus ſimplex. ibid.
Syrupus myrtinus compoſitus. ibid.
Syrupus de matricaria. 201
Syrupus de artemiſia. 203
Syrupus myrachinus. 208
Syrupus nenufarinus cõpoſitus. 210
Syrupus nenufarinus ſimplex. 211
TAraxacon. 196
Tut. 258
Zuccharum violatum. 241
Zulapon. 96.

FINIS.

LVGDVNI,
Excudebant Ioannes & Franciſcus Frellonii fratres

1546.

(2)

# ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS,

EXAMEN *omnium Catapotiorum uel Pilularum, quarum apud Pharmacopolas usus est.* *ad Illustrem*

## ALPHONSVM ESTENSEM.

CONRADI Gesneri medici Tigurini enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum, & aluum bonam facientium, ordine alphabeti.

*Omnia nunc primùm & nata & excusa.*

LVGDVNI,
SVBSCVTO COLONIENSI
1546.